Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Thomæ Goodwini Moses & Aaron Seu Civiles & Ecclesiastici Ritus Antiquorum Hebræorum

Godwin, Thomas

Bremæ, MDCCX

VD18 12442798

Liber V. De Consistoriis Seu Consessibus.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18703

Visual Library

MOSES ET AARON.

LIBER V.

DE CONSISTORIIS SEU CONSESSIBUS.

CAP. I.

De ipsorum Curiis Forensibus, præsertim de Consistorio Ecclesiastico.

I. DIversæ in Israële *Curiæ* fuerunt diversis consistentes viris, quarum quædam *res Ecclesiasticas*, & quædam *res Civiles & Publicas* dirigebant. *Junius Anal. expos. Deut.* XVII. De his, ipsarumque censuris peculiaribus & pœnis, restat quid dicendum.

II. Hæc diversa *consistoria, consessus & curiæ*, primò distincta reperiuntur *Deut.* XVII. 12. *Qui non auscultat Sacerdoti, aut Judici.* Ubi Israël docetur, ob

ob quas res & ad quos possent à minoribus *judiciis* & *curiis* appellare; nempe ad *Sacerdotes* in rebus *Ecclesiasticis* aut *ceremonialibus*, & ad *Judices* in rebus *criminalibus* aut *civilibus*.

III. Hæc duo *dicasteria* (1) clariùs distinguun-

(1) Autor hoc capite distinguit *judicia* in *Ecclesiasticum* & *Politicum*, & ab hoc, sive τῷ *Sanhedrin*, Sacerdotes & Levitas separat; verùm dubito, num satis benè. Quot enim Pontifices fuerunt נשיאים *Principes* in Synedrio? *Seldenus* etiam *de Synedr. Hebr. c.* 8. *sect.* 2. probat *Synedrium* tàm *Politicis*, quàm *Ecclesiasticis*, ut ita loquar, personis, seu Levitis aut Sacerdotibus, constitisse. Imò maxima pars *Synedrii* fuerunt Sacerdotes & Levitæ. Vid. *Lightfoot. in Matth.* XXVI. 3. Nec est, quòd Autor dicat, *Collegium Sacerdotum* vocatum esse *Synagogam magnam*, & *Collegium Politicum*, *Synedrium*; non enim fido huic distinctioni, quippe *Hillel* fuit *Rector Synagogæ magnæ*, & quoque fuit נשיא. Vid. *Cocc. Exc. Gem. Sanh. c.* 1. §. 1. *not.* 3. Sic *Synedrium* pro *Presbyterio* & *Sacerdotibus* sumit *Momma tom.* 2. *cap.* 6. §. 51. & Cl. *Wittich.* hoc adstruit *Theol. pacif. c.* 18. §. 287. Locus ille 2. *Chron.* XIX. nihil suffragatur distinctioni Autoris, etsi distinguantur negotia Jehovæ & Regis, uti nec locus *Jer.* XXVI. quem Autor subjungit. Ad quos facilè responderi potest. Et, si locus *Deut.* XVII. 7-12. benè inspiciatur, evanescet omnis distinctio. Nam *Sacerdotibus* æquè jus fuit decernendi de capitalibus, quàm de ritualibus; æquè ac *Senioribus* Israël; imò ipsi *Sacerdotes* fuerunt ὁι זקני ישראל πρεσβύτεροι, unde in N. T. *personæ Ecclesiasticæ* vocantur πρεσβύτεροι, à qua voce πρεσβύτερος sine dubio Germani Priester derivârunt. Et ut unum hoc addam ad infringendam illam distinctionem; nonne Moses de tribu Levi æquè viros in numerum ∓ LXX. cooptavit, ac de reliquis? utique. Illi *Seniores*, *Judices* scil. *Sacer-*

tur 2. *Chron.* XIX. ubi Josaphat multos abusus in Ecclesia & Republica tollens, primò per omnes civitates munitas Jehudæ *Judices civiles* constituit ad judicandum res criminales, vers. 5. Et Hierosolymæ ordinavit *consessum Ecclesiasticum* è Levitis, Sacerdotibus, & primoribus patrum Israëlis, vs. 8. *In negotiis Jehovæ seu Ecclesiasticis* Amaria *Pontifex* primarius erat. In *rebus* autem *Regis* seu *civilibus* Zebadia נגיד *Præsul*, vers. 11. Sic etiam Propheta Jeremias neci addicebatur à *consessu Sacerdotum*. *Jer.* XXVI. 8. Sed in *judicio Principum*, seu *Judicum civilium*, qui considebant sub portis, absolutus est, vers. 6.

IV. Et licet tyrannis Antiochi, & subsequentes motus tantâ confusione turbârint regimina Judæorum, ut vix discrimen ullum in N. T. reperiri possit, attamen vestigia quædam & imperfecta signa utriusque hujus *judicii* apparent *Matth.* XXI. 23. XXVI. 3. Ἀρχιερεῖς *Sacerdotes primarii* & πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ *Seniores populi* adducuntur, tanquam

Sacerdotes, & *Levitæ*, communi nomine in V. T. vocantur Dii, θεοὶ λεγόμενοι *Dii appellativi*, quibus Deus populum suum subjecit, ut suo quasi loco imperium in Israëlitas exercerent, & ad dogmata observanda sub metu etiam mortis compellerent, *Psalm.* LXXXII. 1. 6. 1. *Cor.* VIII. 5. In N. T. cùm non sit ampliùs carnalis Lex, ad quam castigationibus cogamur, & aboliti illi magistratus Israëlis θεοὶ λεγόμενοι, sed recognoscamus unum dominum Jesum Christum, non possunt in Nov. Test. *Reges* & *Principes* Dii dici absque injuria, quâ Christus afficeretur, sed *Nutrices Ecclesiæ*.

Landesbibliothek Oldenburg

quam diversi ordinis & consessus, quorum quisque videtur proprio nomine distingui.

V. *Consessus Politicus* vocatur συνέδριον *Collegium Consiliariorum*; *Ecclesiasticus*, συναγωγή *congregatio*. *Tradent vos εἰς συνέδρια, & cædent vos flagris ἐν ταῖς συναγωγαῖς. Matth.* X. 17. Hinc magnum Prophetarum sanctorumque virorum *Collegium*, quod Esra collegit ad reformandam Ecclesiam post adscensionem ex Babele, vocatur *Synagoga magna*. *Officium Collegii Ecclesiastici* fuit, *discernere inter sacrum & profanum, mundum & immundum. Lev.* X. 10. Et *decidere appellationes* in rebus momentosis; hinc illud, (†) *Dic Ecclesiæ*; quum penes eam esset *jus excommunicationis*, de qua seq. cap.

VI. Hîc tantùm nota, quòd, quemadmodum in *Synedrio* & *Collegio politico*, quod constabat LXX. viris, penes quos *summum judicium* erat, fuerunt duo capita: alterum vocabant נשיא (2) *Principem* seu

(†) Autor ex consuetudine Anglicanæ Ecclesiæ nimium Autoritatis videtur velle tributum Ecclesiastico Consistorio, quod *Ecclesiam* hic appellat, juxta morem Romanensium, qui illa verba *Matth.* XVIII. 17. ἐὰν δὲ καὶ τῆς ἐκκλησίας παρακούσῃ, ἔστω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης, ita contorquent, ac si Christus dixisset, mitte ipsum in crucem, ad leones, in exilium. In quo sensu Anglicani Episcopi Romanenses imitati, quàm plurimos dissentientes in carceres & ad Americanos curarunt mitti. Videatur *Hornii Hist. Eccl.* Cùm Salvator mansuetissimus nil aliud voluerit, quàm ut ejusmodi immorigerum vitemus, nec eo ut fratre familiariter utamur.

(2) Non duo, sed tria fuerunt *Synagogæ* seu *Synedrii* capita. 1. *Princeps*, 2. *Pater Senatûs*, 3. Et ille, qui κατ' ἐξοχὴν dicitur

Judicem supremum; & alterum vocabant אב בית דין *Patrem dicasterii*; quòd, inquam, etiam in *Synagoga*, seu *Concilio Ecclesiastico*, fuerint duo capita seu primarii, *Pontifex*, ipsiusque (3) סגן *Vicarius* seu *Pontifex secundus*. 2. *Reg.* XXIII. 4. *Pontificem* necessariò membrum fuisse *Synedrii*, falsum est,

dicitur חכם *sapiens*, σοφιστής. Medius in Senatu sedebat *Nasi* seu *Princeps*, qui interpretandæ publicè Legis autoritatem habet. Secundus ad dextram *Principis* sedebat *Vicarius*, qui dicitur אב בית דין *Pater senatûs*, *Judicum antecessor*, cujus ore lites deciduntur. Tertius ad lævam *Principis* erat ὁ חכם *Sapiens*, qui inter Doctores præcellit, cum quo de agendis communicatur, quique est peritus sensuum & rationum Legis. Vid. *Cocc. Sanh. c.* 4. §. 3. & *notam*.

(3) Hic *Sagan* varia habuit nomina. [1] Vocatus etiam est סגן הכוהנים *Antistes Sacerdotum*. [2] משוח שעבר *qui transit*, seu qui non manet, & *ex Sacerdotali Ministerio abit*, scil. postquam vicem polluti Pontificis obiit. *Cocc. Macc. c.* 2. §. 6. Aliter tamen ipse hoc nomen transfert, *Sanh. c.* 2. *not.* 5. [3] כוהן משנה *Sacerdos subalternus*, quòd die expiationis cum Pontifice, si quid vitii illum impurum reddidit, alternaret. [4] סגן ממנה *Præfectus constitutus*. Vid. *Cocc. l. c.* & *Lightfoot. Job.* XVIII. 13. Jam si addimus *Pontifici* & huic *Vicario Sagan* illum, quem dixerunt, משוח מלחמה *Belli causâ unctum*, tum habemus tres quasi *Pontifices*, & sic rationem, cur in *S.* Scriptura dicantur fuisse ἀρχιερεῖς, ut & cur *Anna* & *Caïphas Pontifices* vocentur, cum Lege Divinâ unus debuerit esse

Ponti-

est, quia ad id *Collegium* nunquam electus est, nisi fuerit vir raræ & singularis sapientiæ. *Mos. Kots. in Sanhed.*

VII. Nota quoque, quòd utrumque *Collegium* coïverit, quoties res decidendæ, mixtæ h. e. *ceremoniales* partim, & partim *politicæ* erant, sicque partim ad *Ecclesiam*, partim ad *Rempublicam* spectabant. Quod quùm non observetur, Interpretes discrimen non faciunt inter illa *judicia*. Hæc utriusque *Consistorii* seu *Collegii* coïtio & conjunctio hinc inde in Euangelio occurrit, ubi dicuntur ἀρχιερεῖς καὶ πρεσβύτεροι congregati fuisse.

CAP. II.

De ipsorum Excommunicatione.

I. TRes (1) erant *excommunicationis* gradus.

II. I. Ἀποσυναγωγή *ejectio ex Synagoga*, *Joh.* IX. 22. à Judæis dicitur נדוי *Niddui*,

Pontifex. Licèt quoque illi verum dicant, qui rationem adducunt corruptos illius temporis mores, quo *Reges* & *Præsides* Judæorum sordidâ sacrâque auri fame sacrum hoc officium pro lubitu contulerint non piissimis, sed pessimis; non doctissimis, sed ditissimis, rursusque abstulerint pro re nata.

(1) Cel. *Cocc. Exc. Gem. Sanh. c.* 1. *§.* 9. *not.* 5. ait: *Faciunt quidam tertium gradum anathematis* שמתא, *in qua sententia reperio apud Ebræos esse Eliam & Davidem de Pomis. Et sunt fortè plures, ut Gerson ille, qui per* נחש *vetat epistolas ab alieno aperiri. Sed locum, quo id probetur, proferri non video. Maimonides ultra* חרם *non progreditur.*

quæ vox significat *separationem* & *elongationem*: deducitur à verbo Pih. נדה *separavit*, hinc etiam *proscriptus*, *profligatus*, aut *separatus* quispiam dicitur מְנוּדֶה. *Niddui quoque dicitur significare elongationem ab omni negotiatione, vel communione viri aut fœminæ, intervallo quatuor ulnarum; separationem quoque à comestione, aut computatione cum alio, à complexu conjugali, à tonsura, lotione, & similibus*; pro sententia Judicis, & ratione criminis. *Buxtorf. ex Rabb. epist. Heb. pag.* 55. Ea separatio triginta dierum erat, poterat tamen abbreviari factâ pœnitentiâ.

III. Illi, qui ita *excommunicatus* erat, (2) licebat *cultui divino adesse*, *alios docere*, & *ab aliis doceri*, *conducere servos*, & *conduci*, sub istius tamen *separationis* conditione. Ubi is non agebat pœnitentiam, pro sententia Judicis pœna ingravescebat, dum aut duplicabatur, aut tempus ter augebatur, aut pœna non nisi cum vita finiebatur. Illius filii non circumcidebantur; &, ubi absque pœnitentia decesserat, jussu Judicis loculo aut feretro injectus est lapis, ad ostendendum, ipsum fuisse

(2) מְנוּדֶה *Excommunicatus* est quidem מוּבדל מִן הַצִּבּוּר *separatus à cœtu*, ita ut pro vero membro Ecclesiæ non habeatur, non tamen videtur esse ἀπωνύμος, quia doctrinæ particeps est, poterat enim docere docerique. Quàm leviter Judæi hoc *anathema* dixerint & extemplò remiserint rursùs, & quomodo illud tonitru in *anathematizantem* repercuti potuerit, cum annexa lepida Historiola habes ibidem.

Landesbibliothek Oldenburg

fuisse dignum, qui lapidibus obrueretur. Non luctu solennique planctu deflevêre eum, nec comitantes ad sepulcrum, nec terræ mandantes sepulturâ solenni.

IV. II. Secundus *excommunicationis* gradus est, παραδοῦναί τινα τῷ Σατανᾷ *tradere aliquem Satanæ*, 1. *Cor.* V. 5. qui vocatur Judæis חרם.

V. Ad magis intelligendum hoc vocabulum, scire nos oportet, quòd hoc sensu non usurpatum sit in V. T. Ibi reperimus illud applicatum *personis* aut *rebus*: Si *personis*, notat *devotionem Deo præstandam morte earum.* (3) *Lev.* XXVII. 29. Si *rebus*, notat *devotionem Deo præstandam separatione* earum à communi usu. Hinc *Achan* morte affectus, quòd subduxerat *devotum*, *Jos.* VII. 11. 25.

VI. *Personæ* ita *devotæ* Græcis dicebantur ἀναθέματα & *devotæ res* ἀνάθημα. *Budæus* ἀναθέματα dici tradit *homines sacros*, quorum capita inferis

(3) Quòd *Lev.* XXVII. 29. intelligantur homines, qui sint jugulandi, si fuerint *devoti*, ut patet ex exemplo *Jephthæ*, probat Cl. *Burmannus l. c.* etsi Judæi istum locum accipiant de iis, qui justo judicio à Magistratu ad mortem *devoti* sunt. Tradere autem aliquem Satanæ nihil aliud videtur esse, quàm concedere Satanæ corpus, vel morbo vel morte affligendum, ad perniciem carnis, ad salutem verò spiritûs, 1. *Cor.* V. 5. 1. *Tim.* I. 20. Et hæc tradendi potestas videtur fuisse *virga* Apostolica 2. *Cor.* X. 8. 2. *Cor.* XIII. 2. 10. quin & *clavis cœlorum*, quâ usus primùm est Petrus *Act.* V. 1-11. qui quod ligavit, ligatum fuit in cœlo, & quod solvit, solutum fuit in cœlo. *Luc.* XIII. 15. 16. *Act.* III. 6. 7. Cont. *Lightfoot.* in *Matth.* XVI. 19. & XVIII. 18. & *Joh.* XX. 23.

Landesbibliothek Oldenburg

dicata sunt & *devota*; ἀναθήματα verò *donaria Diis consecrata*; tempore tamen Pauli & τὸ חרם & τὸ ἀνάθεμα denotârunt tantùm *secundum excommunicationis gradum*, distinctum à primo. 1. Quùm ea *excommunicatio* non fieret à singulari judicio aut consessu, sed ea denuntiaretur audiente totâ Ecclesiâ. 2. Addebantur è Lege Mosis *devotiones* & *execrationes*. (4) Quando ea denuntiabatur, cereæ accensæ sunt, finitisque *execrationibus* extinctæ, ut significarent, hujusmodi *devotam* personam emunctam esse luce cœli. Hoc *excommunicationis* genus usurpabatur adversùs illum *incestuosum*, 1. Cor. V. 5. & adversùs *Hymenæum atque Alexandrum*, 1. *Tim.* I. 20.

VII. III. Tertius *excommunicationis* gradus vocatur in N. T. vocabulo Syriaco Μαρὰν-ἀθά *Maranatha*, 1. *Cor.* XVI. 22. h. e. *Dominus venit*. *Maran* notat *Dominum*, & *Atha venit*. Cujus autorem

(4) *Denuntiandis anathematis* Seniores adhibebant buccinas. Vide ibid. Credibile est, quòd easdem buccinas aliis actibus Judæi adhibuerint, unde Christus Pharisæis objecit, quòd buccinis cani curarent, cùm darent eleemosynam. Notum enim est ex historia sacra & profana, quòd eo tempore amârint erogare quid ἐμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, & non ἐν κρυπτῷ, licèt illam eleemosynam in abdito commendarent. Unde *R. Abba* sudarium, cui pecuniam illigaverat, à tergo pendens gestavit, ut pauperes inde nummos depromerent, res autem, vel persona ipsum lateret. En histricam superbiam! Hæc ἐν παρόδῳ. Vide *Wagens. Sot. Exc. Gem. c.* 1. §. 7. *not.* 4. Formulæ *execrationum* exstant apud *Cocc. l. c.* Pontificii, quando Hæreticos, quos putant, devovent, cereis itidem utuntur.

Landesbibliothek Oldenburg

tem dicunt *Enochum. Jud.* V. 14. Judæi id appellant שמתא *Schammatha.* (ς)

VIII. Hujus vocis duplicem adducunt interpretationem; quidam ajunt tantundem significare ac *Maranatha*, *Dominus venit*, τῷ שם notante *Dominum*, & τῷ אתא *venit.* Alii dicunt, quòd sonet: *ibi* est *mors*; שם significante *ibi*, & τῷ מיתא *mortem. Elias Thisb. in rad.* שמתא. Hinc posset verti *destinatio ad necem.* Et hæc ratio creditur esse illius loquendi modi 1. *Job.* V. 16. *Est peccatum ad mortem*, (†) h. e. quod dignum est *devotione ad mortem. Bertram. de politia Jud. c. 2. p. 21.*

(ς) Uti superiùs notatum est, duo tantùm sunt *excommunicationis* gradus, חרם & נדוי χωρισμός sive שמתא, Verba enim נדר & שמר indifferenter usurpantur. Et non tantùm *Schammatha* non est tertius *excommunicationis* gradus, sed insuper putatur esse vox Arabica, שם מיתא vel שם אתא; adeo ut nec cum *Maranatha* conveniat. Quid autem vocis sit, quidve significârit τὸ Μαρὰν-ἀθά, vid. *Cocc. Comment.* 1. *Cor.* XVI. & *Lightfoot. Hor. Talmud.* in hunc loc. item *Lexicon Martinii* in hac voce.

(†) Quòd si quis putet 1. *Joh.* V. 16. Apostolum loqui de istiusmodi crimine, quod Magistratus non possit impune remittere, sed quod morte luendum sit, tùm quàm maximè is falli videtur, eò quòd neutiquam verisimile, *Johannem* charitate affluentissimum nobis præcipere, ut

pro

IX. *R. Gerson* interdixit resignationem literarum sub pœna ternæ illius *excommunicationis*. *Buxtorf. ep. Heb. p.* 59. in dorso epistolæ subjici solebat hæc abbreviatura, אסור בחרם, h. e. *prohibitum est per anathema*, & *R. Gerson, luminis captivitatis*, scil. resignare has literas. Et hæc vocabatur *excommunicatio in secreto nominis tetragrammati*; vide illius formam *cap. de Sadducæis*.

X. Quatuor hujus censuræ gradus erant in Ecclesia Græca. *Vid. Justelli notas in cod. Canon. Eccl. univers. ad canon.* 25. *Bellarm. de pœnit. l.* 1. *c.* 22. & *Casaub. Exercit. p.* 552. observant quintum gradum, quem ille μέσωσιν, alter μέθεξιν *communicationem* appellat. Verùm vulgò quatuor numerantur.

XI. 1. Σύστασις *assistentia*. Hoc gradu illi plectebantur, quibus sola *mensa Domini* interdicta erat, licebatque intrare templum, audire verbum, cum Ecclesia preces fundere, cum reliquis Christianis adstare, & intueri, quomodo aliis Sacramentum daretur, etsi ipsi illius non fierent participes, unde & vocabantur *Stantes*.

XII. 2. Ὑπόπτωσις *submissio*. Quod ad hanc pœnam, quidquid de ea lego, hoc est; Qui hâc pœnâ

pro istiusmodi peccatoribus neque coram Deo, neque coram Principibus deprecatores simus. Reliquum ergo est, *Johannem* velle, ut veri Christiani, Spiritûs S. oleo delibuti, cujus beneficio perspiciunt & norunt omnia, pro isto non deprecentur, quem videant ad peccandum venundatum & quasi catenis proterviæ & malitiæ constrictum. Hinc ipse precum Spiritus monet & cohibet pios, ne pro hoc vel isto orent. *Jer.* VII. 16. & XI. 14.

Landesbibliothek Oldenburg

pœnâ affectus est, admissus est in templum, ipsius tamen locus erat *post suggestum*, *vid. Justell. loc. cit.* & exire debebat(*) cum Catechumenis, h.e. talibus Gentilibus, qui Christianam fidem amplexi, non tamen plenè admissi ad Ecclesiam, quoniam nondum erant sacro fonte tincti; & sic, quia cum cœteris Christianis indiscriminatim precari non poterant, certus locus post chorum templi, modo cœnobiorum, ipsis assignatus erat, vocabaturque *Catechumenium. Hospin. de templ. p. 88.*

XIII. Hunc censeo esse locum pro hoc secundo *excommunicationis* gradu; sic ut credam, vim hujus pœnæ, sive censuræ, in tribus consistere. 1. Prohibebantur à mensa Domini. 2. Non permissum

(*) Eo tempore, quô inter *Laicos* & *Clericos* cœperunt in ipso templo discrimen facere, & altare cancellis circumdare, intra quos *hi*, & extra quos *isti* sacram cœnam sumebant, adeò ut *communionem Laicam* in pœnam darent ei, qui ex clericali ordine quidpiam peccârat; Eo tempore, inquam, omnia pessum ire, & in gentilem pompam & Judaicam discriminationem converti. Tùm temporis Catechumenos plerosque à Sacra cœna non tantùm, sed & à templo, quando illa distruebatur, abstinebant, non dubitantes interea, trium annorum infantes & baptizare & S. cœnâ cibare; id quod Græca Ecclesia hodienum facit. At vix credibile, eos omnes tùm temporis à sacra mensa abstentos, qui Christianismum professi, per totum vitæ tempus baptizari nolebant. Moris enim erat, in articulum mortis differre baptismum. Absque dubio ergò illa exclusio solos tenuis sortis homunciones attinebat, non autem Cæsares, & Primates, qui Catechumeni perpetui esse maluerunt, quàm accepto baptismo ad meliores fruges adstringi. Prosopolepsia enim statim ab incunabulis Ecclesiam corripuit. *Jac.* II, 1. 2.

Landesbibliothek Oldenburg

ſum ipſis erat, adſtare adminiſtrationi Cœnæ Dominicæ, quod licebat primo gradui. Hoc que clarè liquet ex eo, quòd (*) Catechumeni plerumque dimittebantur, cùm adminiſtratio fieret; his enim præprimis dicebatur: *Ite, miſſa eſt.* 3. Etiamſi liceret ipſis ὑπόπεσεῖν, genibus inniti, precarique, unde & nominabantur *Succumbentes*, attamen non permittebantur hoc facere in media Eccleſiæ concione, ſed tantùm in eo poſt chorum & ſuggeſtum loco, Catechumenis deſtinato; & hac in parte ſecundus gradus à primo differt.

XIV. 3. Tert. gradus erat ἀκρόασις *auditio*. Hoc gradu plexus, non niſi ad cœmeterium admittebatur, ubi Scripturam audire licebat, non autem accedere ad preces, aut ad menſam Domini; unde denominabantur *Audientes*.

XV. 4. Quartus & ultimus gradus erat πρόκλαυσις *præfletio*. In quos hoc gradu animadverſum eſt, penitùs præcludebantur templo, lacrymis obortis flagitantes ab intrantibus, ut orarent pro ſe Dominum. Unde dicti ſunt *Plorantes*.

XVI. Quoniam *Cain* vulgò putatur primo *excommunicationis* gradu fuiſſe punitus, quem dicunt *Niddui*, & quòd poſtremus gradus, nimirùm *Schammata* ab *Enocho* inſtitutus ſit, ideo quùm inde utriuſque antiquitas pateat, non audeo dicere, tres *excommunicationis* gradus ſumptos eſſe à tribus impuritatis generibus, quæ populum præclu-

(*) Vid. *not. præcedentem.*

præcluserunt (6) tribus castris, etsi proportio quædam inter illorum gradus obtineat. De quibus *P. Fagius in Num.* V. 2.

XVII. *Niddui* enim potest comparari *exclusioni extra castra Dei*, quæ contrectatione cadaveris pollutis constituta erat. *Cherem* potest conferri *præclusioni extra castra Dei & Levitarum*, quibus ejecti, qui immundi erant *profluviis*. *Schammata* conferri potest *præclusioni extra tria castra, castra Dei, castra Levitarum, & castra Israëlis*; hâc animadversi illi, quos lepra immundos reddidit. Plausibile est Græcas & Latinas Ecclesias à Judæis suos *excommunicationis* gradus mutuatas esse.

(6) Hebræi *Tabernaculum* in tria castra diviserant, ut & urbem Hierosolymam: In *castra Dei*, quæ erant *atrium*, *castra Levitica*, quæ erant *mons Sanctuarii*, & *castra Israëlis*, quæ erant *tota urbs*. *Cocc. Sanh. c.* 6. §. 1. *not.* 2. Etsi autem tres Judaïcæ *excommunicationis* gradus cum *Coccejo* non admittam, dabo tamen tabulam, quâ illi tres Israëlitarum, item Græcæ & Latinæ Ecclesiæ gradus, cum castris collati, conspiciantur.

Pollu-

Pollutiones Legales	Censuræ Mosaïcæ.	Censuræ Ecclesiæ Græcæ.	Censuræ Ecclesiæ Latinæ.
1. Mortuo.	1. Niddui, ἀποσυνάγωγον ποιεῖν.	1. Ὑποπίπτοντες.	1. Abstenti,
2. Profluvio.	2. Chèrem, ἀναθεματίζειν.	2. Ἀκροώμενοι.	2. Excommunicati,
3. Leprâ.	3. Maranatha, σαμματίζειν.	3. Προκλαίοντες.	3. Anathema.
quæ exclusêre ex castris			

1. Dei.	2. Sacerdotum.	3. Israëlis	1. Minor.
			2. Major.
			3. Maxima.

Hanc tabulam transtuli ex *Libro Job. Weemse Angli*, quem inscribit *The Christian Synagogue. l. 1. cap. 6. sect. 3. paragr. 7.*

CAP.

CAP. III.

De Collegio seu Consessu Civili, quas personas id requisiverit.

I. HOmines possunt multis in rebus incurrere in Legem Dei, etsi non in pœnam hominum. *Non ulciscceris, & servabis rancorem. Levit.* XIX. 18. Quod Judæi ita exponunt: *Ulcisci* est *negare quidquam petenti, qui antea beneficium negavit alteri. Rancorem servare; alicui, qui antea detrectavit benefacere, beneficium præstare cum exprobratione.*

II. Istud hoc illustrant exemplo: Si *Ruben* dicat *Simeoni*, commoda mihi securim tuam, & is respondeat, nolo. Deinde si *Simeon* indigeat securi, & dicat *Rubeni*, commoda mihi tuam securim, & tum regerat ei *Ruben*, ne expectes à me eam, quam mihi negâsti. Hoc est נקימה *ultio.* Rursùs, si *Ruben* dicat *Simeoni*, commoda mihi tuam securim, & is referat, nolo; ac deinde, ubi *Simeon* mutuari velit securim à *Rubene*, qui reprimat: en accipe; non agam tecum, quemadmodum tu mecum. Hoc est נטירה *rancoris servatio.* Uterque hic impingit in Legem Dei, etsi non in plagam hominum.

III. In cunctis *judiciis civilibus* quinque personæ sunt. 1. *Judices.* 2. *Officiales* seu γραμματεῖς. 3. *Advocati.* 4. *Scribæ.* 5. *Testes.*

IV. In

IV. In *supremo judicio*, seu *Sanhedrin*, erat quis caput omnium *Judicum* reliquorum, Hebr. נשיא, Græcè ἄρχων *Princeps*.

V. *Testium* minimùm duo erant (1) *Deut.* XIX. 15. Si fuerunt falsi, *talione* (2) repercussi sunt, h. e. eâdem pœnâ, quam machinati erant in fratrem, *Deut.* XIX. 19. *Scribarum*, seu *Notariorum*, duo (3) erant; alter stabat ad dextram, ut scriberet

(1) Unus quoque testis admissus est in *Sota*, h. e. muliere adulterii reâ, ne aquam amaram visceribus immittere cogeretur, item in *junice* decollanda, ne id fieret. Cæterùm unicus testis, si non fuerit ineptus ad dicendum testimonium, eatenùs in pecuniariis admittitur, ut is, in quem dicit, ad juramentum adigatur. *Junius ad Deut.* XIX. 16. *not.* 6. putat in religionis negotio suffecisse etiam unum testem. Vid. *Cocc. Macc. c.* 1. §. 7. *not.* 21.

(2) Hæc *talio*, quamvis in aliis idem genus pœnæ & supplicii requirat, in quibusdam tamen id non observatur; ut qui dolo malo falsum testimonium in sacerdotalem virginem dixerit, quòd scortata sit, non, ut illa, crematur, sed ut adulter laqueo necatur. Præterea, si quis testatus fuerat, alterum meritum esse exilium in asylo, non jussus est exulare, sed XL. plagis contusus. Deinde si quis testabatur, alterum meruisse XL. plagas, non totidem, sed LXXX. recepit. Vid. ibid. Reliqua de testibus habes *Cocc. Sanh. c.* 3. §. 6. *cum not.* & *c.* 4. §. 5. & *c.* 5. & *c.* 7. §. 5.

(3) Hi *Scribæ* vocantur סופרי הדיינין *Scribæ Judicum* & ab aliis putantur tres fuisse. Vid. *Cocc. Sanh. c.* 4. §. 3. Ne mirêre Lector, quòd hîc unico *Coccejo* uti videar; quòd lubens facio, partim, quia is vir plurimum præstitit in *tract. Sanhed.* primusque nucem fregit; partim, quia ejus verba pondera, & quæcunque statuit, ahenei fundamenti, non tantum mihi postremo, sed viris è primo ordine, esse videntur.

Landesbibliothek Oldenburg

beret sententiam liberationis & quod dicebatur in defensionem partis; alter stabat à sinistra, ut exciperet sententiam condemnationis & partium accusationes. *Mos. Kots. in Sanhed. Drusius* putat *præter. Matth.* XXV. Christum, loquentem de *ultimo judicio*, huc respexisse: *statuet oves* ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ, *hœdos autem* ἐξ εὐωνύμων. *Matth.* XXV. 33.

VI. *Officiales* semper erant præsentes, ut exequerentur sententias *Judicum*: quapropter virgas & lora hinc illinc ferebant, quemadmodum Consulibus Romanis virgarum fasces cum securibus præferebantur, ad promptiorem justitiæ executionem. *Mos. Kots. in Sanh.* Hebræis vocantur (4) שׁוֹטְרִים, τοῖς LXX. subinde γραμματεῖς, Belgis **Gerechts-Dienaren**/ Luth. Stock-Meister/ *Lucæ* πράκτορες *cap.* XII. 58. *Quum vadis cum adversario tuo* ἐπὶ ἄρχοντα *ad supremum magistratus caput, in via da operam, ut libereris ab eo, ne fortè pertrahat te ad Judicem, & Judex* שׁוֹפֵט *tradat te* τῷ πράκτορι τῷ שׁוֹטֵר

(4) Quales fuerunt ὁι שׁוֹטְרִים, vid. *Buxt. Lex.* Interpretantur quidam hanc vocem per גּוֹלְיוֹרִים, quod vocabulum convenit cum Gallico *Geolier, carceris custos.* Vid. *Cocc. Sanh. c.* 1. §. 5. *not.* 25. *Schophetim* sunt ipsi *Judices* sedentes in domo Judicii, *schoterim* sunt gestantes virgam & lorum, stantes coram Judicibus, circumeuntes per urbem & cuncta ordinantes juxta decreta Judicum. Vid. *Maimon. in princip. Sanhedr.* & *Lexic. Mnemon. Burklini* in voc. שׁוֹטֵר.

Landesbibliothek Oldenburg

Officiali seu *Moderatori*, & *Officialis conjiciat te in custodiam.*

VII. *Advocatus* dicebatur בַּעַל רִיב *Dominus litis.* Stabat à dextra partis in jus vocatæ, ubi aut pro ea aut contra eam verba faciebat. *Stabit Dominus ad dextram egeni, ad salvandum à damnantibus animam ejus, Psal.* CIX. 31. h. e. Dominus tuebitur causam ejus. Et *Satanas stetit ad dextram Josuæ, Zach.* III. 1. h. e. ad ipsum accusandum, aut causam ipsius disjiciendam. Quando *Johannes* ait 1. *Joh.* II. 1. *Si quis peccaverit, habemus Paracletum:* tum alludit ad hunc בַּעַל רִיב, seu *Advocatum.*

VIII. *Judices* inquirebant decernebantque, & inquisitione factâ, sententia de causis per *Judicem* hoc modo ferebatur: *Tu N. Innocens es: Tu N. obnoxius.* (5) *Tu Simeon justus es, Tu Ruben reus.* Quâ sententiâ latâ, reus ad locum executionis tractus est. *Quum judicabitur, exeat condemnatus, Ps.* CIX. 7. Hebr. יֵצֵא רָשָׁע *exeat improbus.*

IX. Modus personarum sententiam ferentium in plurimis terris discrepat. Judæi absolvebant homines & condemnabant simplici sententiæ prolatione. Romani sententiam suam ferebant tabellis, quas in urnam aut cistulam immittebant, huic rei paratam. Si quem absolvebant, tabellæ isti inscripsêre literam A, quæ est prima litera in voce *Absolvo*; si quem condemnabant, miserunt in urnam literam C, in tabella exaratam,

(5) Vid. hæc *Sanh.* c. 3. §. 7.

tam, quæ est prima litera vocis *Condemno*; si autem res gravior esset, quàm ut sententia ferri posset, tum injecerunt alias tabellas notatas literis N. L. significantibus, (6) *Non liquet. Rosin. Antiq. Rom. l. 9. cap. 24.* Itidem Græci utebantur tribus in judiciis literis; Θ (7) nota erat *damnationis*, unde *Persius Sat. 4. vers. 13.*

Et potis es nigrum vitio præfigere Theta.

T, *absolutionis*; A, *ampliationis* seu *dilationis*.

X. Alii annotant condemnationis sententiam latam dando *lapillum atrum*, & *absolutionis* dando *lapillum candidum*; *Ovid. Met. 15.*

Mos erat antiquis niveis, atrisque lapillis,
His damnare reos, illis absolvere culpâ.

(6) Hebræi simpliciter aut condemnabant, aut absolvebant, tamen etiam poterat quis dicere: אֵינִי יוֹדֵעַ *Non liquet mihi. Cocc. Sanh. c. 5. §. 5.*

(7) Θ duas ob rationes præfixum putatur, aut quia ea litera transfixi cordis speciem refert, aut quia per eam indigitabatur θάνατος. Hinc *Virg.*

O multùm ante alias infelix litera Theta.

Et *Mart*: *Nôsti mortiferum prætoris Castrice signum;*
Est operæ pretium discere Theta novum.

Fuit quoque alia litera, quæ infausta fuit annunciavitque laqueum, quia restem refert, scil. Græcorum κ, unde *Auson.* in *Eunum liguritorem*, cui laqueum apprecatur:

Miselle Doctor, κ tibi sit obscœno,
Tuumque nomen Theta sectilis signet.

Literâ T, salvi fuerunt, de quo signo in *Apocalypsi* mentionem fieri *Erasmus* ait. Pro ea tamen aliqui putant scriptum interdum fuisse K, quo significatum sit κακόν.

Hûc videtur allusum esse *Apoc.* II. 17. *qui vicerit, dabo ei* ψῆφον λευκὴν *calculum album*, h. e. absolvam ipsum & sententiam pro ipso feram die judicii. (8)

XI. Nota hos tres loquendi modos; ἀναστῆναι εἰς κρίσιν *surgere ad judicium*, ἀναστῆναι ἐν κρίσει *surgere in judicio*, καταδεδικασμένος ἐξελθεῖν *exire condemnatus*. Primus modus loquendi tribuitur *Judici* judicium habenti. *Quum surgit Deus ad judicium*, *Ps.* LXXVI. 10. h. e. ad exercendum judicium. Secundus tribuitur ei, *qui in judicio causâ vincit*. *Viri Ninivitæ* ἀναστήσονται ἐν τῇ κρίσει *surgent in judicio cum hac ætate*, *Matth.* XII. 41. h. e. justiores declarabuntur

(8) Quòd in istiusmodi sententiis ferendis usi fuerint Græci *lapillis atris* & *candidis*, patet ex exemplo, quod *Plut. in apophth. de Alcibiade* refert; unde ille mos loquendi fluxit, cùm Græci ψῆφος & ψηφίζεσθαι adhibent pro voce *suffragium*, & *suffragium dicere*. Præterea sententiam tulêre interdum *lapillis terebratis*, qui mortis, aut integris, qui vitæ nota fuerunt. Vid. *Brigtham. Apoc.* II. 17. *Candidus* aut *integer calculus* dictus est σώζουσα ψῆφος *calculus servans*; *calculus* autem *ater* vel *terebratus* ἀναιροῦσα ψῆφος *calculus damnans*. Athenienses aliâ *condemnationis* formâ usi sunt, si quem in exilium ejicerent, nempe testulis, aut olivæ foliis, vocâruntque eam *condemnationem* ὀστρακισμὸν aut πεταλισμὸν, ἀπὸ τοῦ ὀστράκου *à testula*, & ἀπὸ τοῦ πετάλου *à folio*. Differebat autem *Exilium* propriè ita dictum ab *Ostracismo Atheniensium*, & *Petalismo Syracusanorum*; nam Ostracismus erat annorum decem, Petalismus annorum quinque exilium. Exilio propriè ita dicto damnati, qui flagitia commiserant, Ostracismo verò, quorum potentia suspecta erat, vel qui virtute, opibus, populi favore, & clientium multitudine, cæteris præcellebant. Vid. *Scalig. proleg. in Euseb. Joh. Meursium lib. 5. Attic. Lect.* aliosque.

Landesbibliothek Oldenburg

buntur hâc generatione. Tertius tribuitur *condemnato*. *Ps.* CIX. 7. *Exeat condemnatus*, seu improbus. *Non stabunt improbi in judicio*, *Psal.* I. 5. Similis loquendi mos usitatus fuit Romanis; *stare in Senatu*, *causâ cadere*. Puto tamen hunc Romanum loquendi morem sumptum esse ab ipsorum Gymnasiis, ubi positura corporis, quâ quis parabat se defendere & digladiari cum adversario, vocabatur *Status*, aut *Gradus*; *ut cedere de Statu*, *Gradum vel Statum servare*. (†) Et sic à *Gymnasiis* ad *Judicia* hæ dictiones traductæ sunt.

(†) *Status*, si substantivè sumitur, [1] est locus quem sibi quisque in dimicando capit. [2] Per metaphoram *in decertationibus forensibus Ciceroni* status dicitur, id *in quo defensor primùm insistit ad repugnandum*; similiterque id Græci στάσιν appellant ab ἵστημι. Paulus verò priori sensu sæpissimè voculam στήκω *stare*, item στήκειν *firmiter stare*, pro ἀνδρίζεσθε, κραταιοῦσθε ἐν τῇ πίστει, *viriliter & fortiter agere, & immoto gradu stare in fide*, usurpat. 1. *Cor.* XVI. 13. *Eph.* VI. 13. 14. Hinc & vult nos esse ἑδραῖοι καὶ ἀμετακίνητοι, *stabiles & immobiles*, 1. *Cor.* XV. 58. scil. in tentationibus & certaminibus cum Diabolo & Mundo, quem *fide vincimus*, non facientes ejus voluntatem & morem. 1. *Joh.* II. 13. & V. 4. Quid autem est *Mundus*? Est ea observabilis multitudo, quæ non ad Deum, tanquam unicam *Veritatem* & *Rem*, sed ad *Umbras*, ad dignitates, gloriam, honorem, opes & voluptates invitat, & vocat, dum Ecclesia à Mundo avocat.

Landesbibliothek Oldenburg

CAP. IV.

De Numero Curiarum Civilium.

I. *Judiciorum civilium* duo erant: סנהדרין גדולה συνέδριον seu *Collegium magnum*, aut *Senatus supremus*; & סנהדרין קטנה *Judicium* seu *Collegium minus*. Sic in genere apud Rabbinos ipsa distincta reperio. Et quamvis *Collegium* posterius insuper fuerit partitum, ut liquebit inferiùs, attamen antiquis ætatibus solummodò duo priora erant.

II. Istam distinctionem videtur noster Salvator Christus secutus, appellans *judicium minus*, κρίσιν *judicium*, & *majus*, συνέδριον seu *consessum majorem*, *Quicunque irascitur fratri suo temerè*, ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει, *obnoxius erit judicio*. *Quicunque verò dixerit fratri suo Raca, obnoxius erit Synedrio, seu Collegio supremo. Quisquis autem dixerit, fatue, obnoxius erit gehennæ incendio, Matth. V.*

III. In quibus verbis, quemadmodum est peccati gradualis adscensio, est [1] *ira*, passio animi. [2] *Raca*, quod non est grande aliquod convitium sed magis contemptûs, & neglectûs indicium. *Chrysost. in hom.* 16. in *Matth.* III. [3] *Fatue* verò, convitiosum nomen; sic sunt adscendentes pœnæ gradus: 1. Κρίσις & *judicium minus*. 2. *Senatus supremus*, & *judicium majus*. 3. *Ignis gehennæ*. (1)

IV. Ge-

(1) Christus *Matth.* V. 22. analogicè & metaphoricè loquitur, alludens ad duo Hebræorum *judicia* & שרפה

vivicom-

IV. *Gehenna* fuit vallis horrenda duobus ignibus. 1. In ea Idololatræ ſua pignora *Molocho* comburebant viva. 2. In ea perpetuus ignis lucebat ad comburenda cadavera & ſordes Hieroſolymarum. *Dav. Kimchi*, *Pſ.* XXVII. 13. Hæc vallis typus fuit ignis infernalis, partim ob horrendum primi ignis modum, & partim ob contemptum loci, reſpectu ſecundi ignis. Poſſumus illum textum ita explicare; *Ira* obnoxia eſt pœnæ minoris judicii, *Raca*, majoris, & τὸ *Fatue*, obnoxium eſt pœnæ omnium judiciorum, imò ipſius ignis Gehennæ.

V. Magnus Senatus ille κατ' ἐξοχὴν vocatur *Sanhedrin*, quod vocabulum derivatur à Græco

vivicomburium, quod forſan in valle *Hinnom* peractum fuit. Non autem partibus tantùm duabus prioribus κρίσεα דין & συνεδρίῳ סנהדרין, intelligendus eſt ille locus loqui de pœnis humanis, poſteriori autem parte ſolâ, de pœna infernali; quaſi duo priora peccata ſolummodò ſub cenſuram humanam, non autem divinam caderent, adeoque venialia eſſent, poſterius autem ſolum infernalem ignem lueret. Talis ſenſus verborum Chriſti non eſt, ſed Chriſtus æquè poſteriori membro quàm prioribus impropriè loquitur, & litera non infernalem ignem, ſed ignem perpetuum, aut in vivicomburio in valle *Hinnom* accendi ſolitum, exprimit. Vid. *Spanh. Dub. Euang.* 140. *part.* 3. & *Fil. Vind. Bibl. h. l.* Quid ergo cenſes de verſionibus Belg. Angl. & Luth. quæ transferunt τὴν γέενναν & πυρὸς, das Höllische Feuer? Benè *Eraſmus*; *obnoxius Gehennæ incendio.* Quare nos in noſtra N. T. verſione vertimus; Der ſoll des tieffen Orts des Feuers ſchuldig ſeyn. Nam & *vallis Hinnom*, ſeu Gehenna, & *Infernus*, profunda ſunt loca, & igne ſævientia.

Landesbibliothek Oldenburg

συνέδριον *consistorium, consessus judicii*; vocatur etiam בית דין *Dicasterium*, *Curia*, & distinguitur ab aliis judiciis. 1. Ratione *numeri Judicum*. 2. Ratione *Loci consessûs*. 3. Ratione *potestatis*. 1. Quantum ad *Numerum*; in Synedrio isto LXXI. Judices (2) erant, juxta Dei mandatum & primam Mosis institutionem. *Mos. Kots. fol.* 186. *Col.* 2. *Num.* XI. 16. *Congrega mihi* LXX. *viros è Senioribus Israëlis, quos nôsti esse Seniores populi*, וְשֹׁטְרָיו *ipsiusque moderatores, & assumes eos ad tentorium conventûs, & sistent se ibi tecum.* Ex ultimis hujus textûs verbis deprehenduntur LXX. Seniores præter Mosen; Eoque mortuo, semper in ipsius locum elegerunt *Judicem supremum*, quem vocabant *Nasi Principem*, seu *Caput Judicum*, non accensentes ipsum τοῖς LXX.

VI. Hi septuaginta creduntur electi esse, seni ex quavis tribu; exceptâ tribu Levi, quæ quatuor modò dederit. *Jun. Analyt. expos. Num.* XI. Alii putant, modum electionis ipsorum sic se habuisse: Seni ex quavis tribu sua nomina inscripserant schedulis seu pittaciis; Septuaginta harum sche-

(2) Quidam putant LXXII. Seniores *Synedrium* complevisse, locum *Num.* XI. 16. per rotundationem numeri intelligentes. Sic cum *Luc.* X. 1. fiat mentio Septuaginta Discipulorum. Syrus habet LXXII. Sic quoque illorum Interpretum, qui dicuntur LXX. fuisse septuaginta duo putantur. *Joh. Weemse Synag. Christian. lib.* 1. *c.* 6. *sect.* 8 *paragr.* 1. *diatr.* 1. Plura habes de *numero* & *electione* horum *Judicum* apud *Cocc. Exc. Gem. Sanh. c.* 1. §. 17.

Landesbibliothek Oldenburg

ſchedularum inſcriptæ erant voce זקן *ſenior* & duæ reliquæ voce חלק *pars.* His pittaciis ſeu ſchedulis in urnam conjectis, ſi quis extraxit pittacium notatum nomine (†) *Senior*, is relatus inter *Judices* eſt. Qui reliqua pittacia ſeu ſchedulas ſortiebantur, quibus inſcriptum erat חלק, rejiciebantur. *Num.* XI. 26. Graviſſimus ætate horum LXX. vocabatur אב בית דין *Pater dicaſterii.*

VII. Totus *Judicum* Senatus ſedebat in ſemicirculo, Principe *Naſi* in medio conſtituto ſuperiori loco, cæteris circumſidentibus, hâc formâ, ut אב בית דין *Pater dicaſterii* eſſet proximus à dextris *Naſi.* (3) *Moſ. Kotſ. fol.* 186. *col.* 2.

(†) Certè vocabulum *Senior* dignum eſt, quod obſervetur. Non mirum in Veteris Teſtamenti oeconomia vocem זקן *Senatorem* notare, & dignitatis nomen eſſe; uti & apud *Latinos* & *Lacedæmones*, qui *Senatores* ſuos Γέροντας appellabant, & *Senatum* Γερουσίαν, quia, uti *Tullius* in *Catone* ait, *conſilium & ratio & ſententia niſi eſſent in ſenibus, non ſummum conſilium majores noſtri appellaſſent. Ovid.*

Nomen & ætatis mite Senatus habet.

Quando autem ſcriptores N. T. à ſenioribus populi ſub V. T. qui & Magiſtratus & Doctores erant, id Senioris nomen ad Doctores N. T. quibus Magiſterium non amplius, ſed ſolum Miniſterium convenit, traduxêre, myſtica Babel ex *Presbyteris Dominos*, uti ex Petro Συμπρεσβυτέρῳ 1. *Eph.* V. 1. Imperatorem Romanum fecit, ideòque à Nomine *Senior*, *Sire*, *Sieur*, *Seigneur &c.* deduxit.

(3) *Synedrium* inſtar horrei dimidiati fuit, aut orbicularis, ut unus alterum intueri poſſet. Coram illis ſtabant duo

VIII. *Collegium minus* divisum erat in duas species; altera species constabat *Senatoribus* XXIII. & ejusmodi duo erant *Collegia* Hierosolymæ, unum *ad portam atrii templi*, & alterum (4) *ad montem templi*. In cunctis quoque civitatibus Israëlis, quas constituebant centum & viginti patres familias, hujusmodi *Collegium* virorum XXIII. jus dicebat. Altera species *minoris Collegii* seu *Judicii* consistebat *Triumviratu*; idque erigebatur in minoribus oppidis, quæ paucioribus habitabantur quàm 120. familiis.

IX. 2. Secunda differentia inter *Collegium majus & minus* est respectu *loci*. *Septuaginta viri* tantummodò considebant *Hierosolymæ intra atrium templi* in cœnaculo, quod vocant לשכת הגזית *conclave cæsuræ*, propter *cæsos lapides*, quibus structum erat. *Mos. Kots. ibid.* Græcis ejusmodi conclave dicitur λιθόστρωτον (*) *pavimentum*; *Pilatus sedit pro*

duo *Scribæ* à dextra & læva, qui absolventium & condemnantium annotarent sententias. Coram LXX. quoque sedebant tres *Candidatorum* ordines, quorum singuli XXIII. *Candidatos* habebant. Horum quisque suum servabat ordinem, & si quem promoveri in denati *Senatoris* locum necessitas exigebat, ex primo ordine is capiebatur. Tum primus secundi ordinis in primum adscendebat, & primus ex tertio in secundum. Vid. *Sanh. c.* 4. §. 3. 4.

(4) Vid. *Cocc. Exc. Gem. Sanh. c.* 10. §. 1. *cum not.* 3. & *Exc. Gem. Sanh. c.* 1. §. 13. *not.* 9. & *tract. Sanh. c.* 10. §. 2.

(*) Λιθόστρωτον in quo Pilatus sedit pro tribunali erat aliquomodo evectum, ut sic populus cuncta videre & audire

pro tribunali in loco, qui dicitur λιθόστρωτον. *Joh.* XIX. 13. Cætera *Collegia* seu *Judicia* omnia considebant *sub portis urbium.* Hinc quia portæ sunt propugnacula urbium, Judicesque sub iis judicium exercebant, dicitur, quòd *portæ inferni* h. e. vis, & astutia Satanæ, *non sint prævalituræ Ecclesiæ. Matt.* XVI. 18.

X. Tandem 3. differunt ratione *potestatis autoritatisque: Ad Collegium virorum* LXX. *appellationes* à *Judiciis minoribus fiebant*, sed ab eo ad *majus Judicium* provocari non poterat. *Deut.* XVII. 8. Rursùs *Collegium Triumvirorum* non dijudicabat *criminalia*, seu דִּינֵי נְפָשׁוֹת *Judicia capitalia*, sed tantummodo דִּינֵי מְמוֹנוֹת *Judicia* seu *pœnas multatitias & pecuniarias*, causasque minores, ut *flagellationem*, &c. *Collegium* autem seu *Senatus* XXIII. virorum, constituebat de *capitalibus*, restrictâ tamen potestate; non (5) enim *tota Tribus*, *Sacerdos summus*, & *Pseudoprophetæ*, aut aliæ ejusmodi momentosæ res, apud illos postulari judicarive

audire posset. Hinc *Lutherus* reddidit Hoch-Pflaster / respiciens nomen *Gabbatha* & locum ipsum tribunalis, cùm λιθόστρωτον propriè sonet Stein-Pflaster. Hinc & ipsum vocabulum Græcum βῆμα, solium sublimius notat, quod scandi oportet.

(5) Alia insuper fuerunt, quæ non nisi ex LXX. Judicum autoritate suscepta sunt; ut *bellum arbitrarium*, *urbs atriumve amplificanda*, *synedria tribuum instituenda*, *sententia universalis apostasiæ in urbem ferenda*, *pœna in senem refractarium seu contumacem decernenda.* De quibus sigillatim Cocc. c. 1. §. 5. & cap. 10. §. 2. 5. & cap. 11. §. 4. 5. 6.

Landesbibliothek Oldenburg

rive poterant. Hæc tantùm ad *Senatum* ∓ LXX. pertinebant. Huc illud ſpectat: *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas. Luc.* XIII. 34. *Cunæus de Rep. Hebr. c.* 12. *l.* 1.

XI. Medium, quo tentabant *Pſeudoprophetam*, hoc erat; notabant *judicia*, quæ ille minabatur, & bonum, quod prædicebat; ſi illa non irruerent, non arguebatur *Pſeudoprophetiæ*, quum Deus ſit longanimis & miſericors, uti patet in exemplo *Hiskiæ*, & populus ſe fortè convertat, quemadmodum *Ninivitæ*; verùm ſi hoc, quod prædixit, non evenerit, arguebatur *Pſeudoprophetiæ*. Fundamentum tentationis aut probationis petunt è verbis *Jeremiæ cap.* XXVIII. 9. *Propheta, qui prophetabit pacem, eveniente verbo hujus Prophetæ, cognoſcetur ille Propheta eſſe, quem miſit Jehova revera.*

XII. *Senatus iſte virorum* LXX. non tantùm jus dixit ſub *Regibus* & *Judicibus*, *P. Galat. l.* 4. *c.* 5. ſed autoritas ipſorum viguit quoque in interregnis, cùm nullus *Rex* aut *Judex* Iſraëlem imperio regeret, propagataque fuit, uſquedum eam (6) Herodes ad ſtabiliendam ſuam tyrannidem, tolleret. *Joſeph. Antiq. l.* 14. *c.* 17.

XIII.

(6) Licèt Herodes ſuó tempore ſuſtulerit & vitam & autoritatem LXX. *Judicum*, non tamen penitùs inſequentibus ætatibus Hieroſolyma *Synedrio* caruit, ſiquidem *Gabinius*, divisâ in quinque *Synodos* Judæâ, quinque *Synedria*, Hieroſolymis, Gadaris, Amathunte, Hierichunte, Sephoriſque conſtituit. *Joſeph. Ant. Jud. l.* 14. *c.* 10. *& D. B. J. l.* 1. *c.* 5. *Synedrium* tamen *Hieroſolymitanum* cæteris præſtabat. Vid. *Coce. Sanh. c.* 10. *§.* 4. Deſtructo autem templo, in varias ſeceſſum eſt urbes, præprimis in Jaſnen & Tiberiada. Idem *Exc. Gem. Sanh. c.* 1. §. 13. *not.* 9.

Landesbibliothek Oldenburg

XIII. Hîc objici posset, tempore Samuelis, aut hæcce *judiciorum Collegia* prorsus non fuisse, aut ipsorum privilegium & autoritatem valde fuisse concisam, *cùm de anno in annum Samuel obiret Bethelem, Gilgalem, & Mizpam, & judicaret Israëlem in omnibus istis locis.* 1. *Sam.* VII. 16. Ad quod responderi debere autumo; quòd, quemadmodum *Imperatores* Romani potestatem habebant circumequitandi, judiciaque exercendi, quod fiebat sine ulla Senatûs privilegiorum læsione; sic *Regibus* & *Judicibus* Israëlis par licentia fuerit, illæsâ suarum *Curiarum* autoritate. Hoc genus *Judiciorum* per *Collegia* seu *Senatus* vocabatur à Romanis βουλὴ κυρία *Senatus legitimus* seu *status*, altera βουλὴ σύγκλητος *Senatus indictus.*

CAP. V.

De Qualitatibus, quæ requirebantur in Judicibus, & modo electionis.

I. LEx Dei has requirit in *Judicibus* qualitates. 1. *Sapientiam.* 2. *Prudentiam.* 3. *Justitiam. Deut.* I. 13. Aliasque *Exod.* XVIII. 21. nimirum. 4. *Fortitudinem.* 5. *Timorem Dei.* 6. *Amorem veritatis.* 7. *Odium avaritiæ.* Quibus addere possumus 8. Ἀπροσωπολημψίαν. *Deut.* I. 17. Has duas postremas virtutes præprimis Gentes in suis *Judicibus* requisiverunt. Hinc *Thebani* pingunt *Justitiam* absque manibus & oculis, ut doceant, iniquum esse *Judici*, *accipere dona*, *aut personam. Plut. de Iside.*

II. Ju-

II. Judæi plures addunt. 1. *Ut sint sine ullo corporis vitio.* 2. *Ut calleant septuaginta linguas*, (1) *ne opus sit per Interpretem audire.* 3. *Ne sint vetuli, & marceant senectâ*, quæ qualitas itidem apud Romanos requisita fuitin *Judicibus*, unde illud proverbialiter dictum: *Sexagenarius de ponte.* Vid. *Erasm. Adag.* 4. *Ne sint Eunuchi*, quum tales ament esse immites. 5. *Ut sint Patres liberorum*, quibus putant plus misericordiæ inesse. 6. *Ne sint magiæ* (2) *rudes*, quum sine ea nesciant judicare Magos. *Mos. Kots. in Sanh.*

III. Ut

(1) De Judæorum 70. populis & 70. linguis superiùs aliquid delibavimus. Cæterùm notandum est, quòd in *Judicibus Triumviralium Collegiorum*, quamquam non usque adeo exactè omnia, quæ in superiorum *Consistoriorum Senioribus*, requirantur, septem tamen ista inveniri necesse sit. 1. *Sapientiam.* 2. *Modestiam.* 3. *Timorem.* 4. *Odium quæstûs.* 5. *Amorem veritatis.* 6. *Ut ab hominibus amentur.* 7. *Ut benè audiant.* Vid. *Cocc. Sanh. c.* 1. §. 6. *not.* 32. & *Exc. Gem. c.* 10. §. 1. *not.* 7. Quam postremam qualitatem Paulus videtur requisivisse in Episcopo. 1. *Tim.* III. 7.

(2) Poculum סוֹתָה cum dira execratione datum est adulteræ, rupitque è vestigio sontis viscera vi occultiore, quam Judæi illi sono verborum inesse putant, quæ Sacerdos protulit. Hinc Verpi eò processerunt, ut crediderint LXX. oportere esse Magos, quo possent & ipsos Magos explorare, & poculum *Sota* incantare carmine magico. Quam pulcram artem gloriatur ipse *Josephus* à *Salomone* ad Judæos posteriores manasse; παρέχει δ' αὐτῷ μαθεῖν ὁ θεὸς καὶ τὴν κατὰ τῶν δαιμόνων τέχνην εἰς ὠφέλειαν καὶ θεραπείαν τοῖς ἀνθρώποις *docuit ipsum Deus artem dæmonum in utilitatem & salutem hominum, Joseph. Ant. l.* 8. *c.* 2. *Cunæus de Rep. Hebr. l.* 1.

III. Ut essent semper idonei viri, qui surrogari mortuis *Judicibus* possent, erant præterea tria subsellia inferiorum, quos vocabant תלמידי חכמים *discipulos sapientum. Mos. Kots. ibid.* Ex his eligebant, si quis deficeret, & duo ex his comitabantur condemnatum capitis, ad executionis locum.

IV. Ritus *initiandi Judices* duplex fuit. *Initiatio* 1. facta est ἐπιθέσει τῶν χειρῶν *impositione manuum*, juxta exemplum Mosis, manus imponentis Josuæ. Hæc *impositio manuum* non putatur fuisse licita nisi præsentibus *quinque* aut *tribus Judicibus. Petr. Galat. l.* 4. *c.* 5. Ea fiebat 2. recitatione certi versiculi: הנך אתה סמוך ויש לך רשות לדין אפילו דיני קנסות *Ecce tu associatus, & est tibi facultas judicandi etiam pœnas multatitias. Maimon. in Sanh. c.* 4. Hinc illud *Galatini ex* Talmude: *Institutio Judicum aut manu fiebat*, (3) *aut nomine tantùm.*

V. Hîc

l. 1. *c.* 12. ait: *Nos putamus Josephum, quo die isthæc scripsit, aliquod purgamentum calcavisse, adeo infeliciter & præter morem suum locutus aliena est.* Vid. & *Cocc. Exc. Gem. Sanh. c.* 2. §. 7. *not.* 1. Nisi velimus cum aliis distinguere Magiam *Diabolicam* à *Divina* & *naturali*, & ad Josephum excusandum dicere, posteriores Magiæ species in Judicibus Populi Dei requisitas fuisse. De quibus vid. *lib.* 1. *cap.* 6. *not.* 11.

(3) Causa intermissæ χειροθεσίας, & ejus loco concepti carminis, hæc fuit. Cùm olim potestas illa & dignitas Rabbinatûs & judicandi דיני קנסות *causas multatitias*,

in

V. Hîc nota quòd סמוך, quod verti *Associatus*, non ſemper notet hominem ad publicum munus *manuum impoſitione initiatum*, nam hîc tribuitur illi, qui non eſt conſecratus *impoſitione manuum*.

VI. Ratio autem cur סמיכה & סמיכות ab omnibus Interpretibus in genere tam Judæis, quàm Chriſtianis exponantur *impoſitiones manuum*, hæc eſt; quia hæc aſſumptionis ſpecies vetuſtis temporibus duobus tantùm hominum generibus adhibebatur in electionibus ipſorum, nimirùm *Rabbinis* & *Judicibus*, nunquam autem ſine ceremonia *impoſitionis manuum*. Hinc factum eſt, ut duæ iſtæ voces expoſitæ ſint *Impoſitiones manuum*, etiamſi propriè nihil aliud ſignificent, quàm *ſociationem*, *vicinitatem*, & *conjunctionem alicujus ad collegium ſeu ſocietatem*, *cujus ille*, *qui ſociationem facit admittitque*, *membrum eſt*.

in aliquem eſſet collata, tum ille quoque pro arbitrio ſuo hanc ἐπίσκηψιν & facultatem ſeu *ſemicha* aliis impertiri poterat. Sapientes poſtmodùm hoc jus ſtringere & prohibere, ne quis illud ſibi injuſſu & ſine ſpeciali privilegio *Hillelis Principis* arriperet; cui cùm ſemper, ſolenni Doctorum more, adverſaretur *Sammæus*, ſciſſis per ſtudia partium Diſcipulis, hæc impoſitio diu miſſa eſt, & concepta quædam verba tantùm recitata. Vid. *Cunæum l. c.* & plura alia de hac ἐπθέσει τῶν χειρῶν *Cocc. Sanh. c. 1. §. 3. not. 10.* & *Exc. Gem. Sanh. c. 1. §. 14.*

CAP.

CAP. VI.

De Communibus Cæremoniis in omnibus Capitalibus Judiciis.

I. IN pœnis capitalibus sunt quædam ceremoniæ, quæ omnibus *communes* sunt.

II. I. *Judices* debebant in quibusvis causis deliberationibus uti, (1) præprimis tamen in capitalibus. Quatuor sunt res, ait *Jonathan* in suo *Targum Num.* IX. 8. quæ ad Mosen deferebantur (nullius mentionem facit specialiter, sed quales

(1) *De dilatione judicii* ita dicunt Talmudici: *Quid hoc, quod scriptum est Jer.* XXI. 12. *sic ait Dominus; Judicate judicium manè, & eum, qui injuriam patitur, ex manu oppressoris eripite? Atqui, annon judicandum est toto die? Verum est. Sed hoc innuitur, nisi ita liquida sit tibi causæ veritas, tanquam lux matutina, non perferendam esse sententiam. Dixit R. Jonathan (Ex hoc: Dic Sapientiæ, soror mea es;) si tibi res ita explorata sit, sicut soror tua, quâ tibi interdictum est, perferas, sin, non perferas sententiam.* Vid. *Cocc. Exc. Gem. Sanh. c.* 1. §. 6. & §. 9. & §. 10. Item *tract. Maccoth. c.* 1. §. 10. *not.* 29. Judicium autem refractarii senis non factum est acerbum dilatione longâ. *Sanh. c.* 10. §. 4. Hîc notandum est, quia Talmudici mysticè per matutinum tempus *Jerem.* XXI. intelligunt claram rei causæque, antequam judicium feras, perceptionem, quòd simul etiam *Synedrium* & *judicia minora* sederint à precatione matutina, seu à jugi matutino; illud usque ad juge vespertinum, hæc usque ad meridiem. *Cocc. Exc. Gem. Sanh. c.* 10. §. 1. *not.* 1. Huc sine dubio alluditur *Eccl.* X. 17. ubi dicuntur Consiliarii manè comedere, h. e. tempore, quo consilium capiendum, cibum capere.

Landesbibliothek Oldenburg

eædem fuerint res, statim discemus aliunde.) Harum *duæ* nullius ponderis erant, in iis festinabat; reliquæ majoris momenti erant, utpote concernentes vitam & mortem, in quibus morâ traxit: וּבְאֵילִין וּבְאֵילִין אֲמַר מְשֶׁה לָא שְׁמַעְתִּי *Cæterùm tam de his quàm de illis dicebat Moses, non audivi*, scil. à Domino; ut doceret, in omnibus sententiis ferendis ineundam esse consultationem cum (†) Deo. Hæ verò quatuor res occurrunt in *Targum. Hierosol. Num.* IX. 8. *Minùs ponderosæ* erant; 1. *Causa immunditiei*, quâ prohibebatur populus à Paschate. *Num.* IX. 9. 2. *Causa filiarum Zelaphechadi. Num.* XXXVI. 10. Res duæ *majoris ponderis* & *momenti* autem erant. 1. *Causa blasphemi. Lev.* XXIV. 14. 2. *Causa illius viri*, qui ligna legit Sabbatho. *Num.* XV. 35.

III. In

(†) Rectè. Nam Moses prudentissimus quanquam esset, & jam didicisset à Domino, quæ pœna infligenda his illisve prævaricatoribus, semper tamen adibat consulebatque Dominum, cùm vel circumstantiarum vel ipsius negotii novitas aut gravitas id posceret. Sed, (pudet dicere) à Christianis Judicibus Deus non consulitur, in Consessibus preces non funduntur, genua in gravi causa flectere, obsoletum videtur omnibus. Sapimus nobis satis superque ex legibus Ethnico-Justinianeis. Aut stat pro ratione & lege voluntas. Hinc ausim dicere, quòd si *Achabus* Rex Israëlis, toties culpatus à Spiritu S. etiamnum in vivis esset, eum justioribus & probioribus Judicibus ac Regibus annumeratum fore. *Primò* enim non audet vi vineam subdito eripere, qui eam negârat. *Secundò* consulit Deum in rebus gravibus. *Tertiò* fidem adhibet Prophetæ Eliæ, eumque veretur. 1. *Reg.* XXI. 22. *Quartò* in cilicio publicè pœnitentiam agit, ob injustitiam in Nabothum commissam vel permissam.

Landesbibliothek Oldenburg

III. In omnibus his judiciis exstat: *Dominus dicebat ad Mosen.* In causa prima, quæ minus momentosa censetur, quòd non agatur de vita & morte, Moses solenni modo populum consistere jubet; *Ego audiam, quid mihi dicturus sit Dominus*, inquiens. Nihilominùs tamen *temeraria* quoque *procrastinatio* Judicem injustitiæ condemnat. Non ullum aliud crimen imputatur illi Judici injusto, cui vidua vix sententiam molestiâ extorsit, quàm *procrastinatio* & *dilatio. Luc.* XVIII. 4.

IV. II. *Pars accusata* sistebatur *in loco eminentiori*, è quo & cerni & audiri à toto populo posset: *Collocate Nabothum* בְּרֹאשׁ הָעָם *in capite populi.* 1. *Reg.* XXI. 9.

V. III. *Judices* & *Testes*, latâ sententiâ, condemnatorum capiti manus imponebant, dicentes: *Sanguis tuus super caput tuum. Drus. præter. Matth.* XXVII. Huc respexit populus vociferans: *Sanguis ejus super nos & filios nostros. Matth.* XXVII. 25.

VI. IV. *Locus executionis* erat *extra* (2) *portas*; damnati eò ducti sunt *à duobus executoribus*, quos

(2) In omnibus suppliciis damnati extra locum sanctuarii ducti sunt, quemadmodum & Romanis fuit suus *campus locusque sceleratus*, seu *Calvariæ. Cocc. Sanh c.* 6. §. 1. *not.* 2. Hinc & dulcissimus noster Salvator ἔξω τῆς πύλης ἔπαθε *extra portam passus est, Hebr.* XIII. 13. quod præfiguratum fuit vaccâ illâ rubrâ, quam Sacerdos *extra portam* mactavit; præfiguravitque eos, qui Christum sequuntur verè, plerumque Patriâ, civitate, domo, ejici. *Hebr.* XIII. 13.

Landesbibliothek Oldenburg

Rabbini vocant חזני הכנסת *Spectatores congregationis. Mos. Kots. in Sanh. item Talmud. lib. Maccoth. c. 3. in Mischna.* Quod nomen est descriptio illius, quem Marcus *cap.* VI. 27. nominat σπεκκλάτωρα; quæ vox, etsi eam adhibeant *Græci* & *Chaldaïci* Interpretes, dicentes ספקולטוריא (vid. *Uziel.* & *Targum. Hierosol. Gen.* XXXIX.) merè tamen Latina est, à *speculando* descendens, (*) quia in judiciis *executores* tantùm agunt *spectatores*, ad exspectandum mandatum *Judicum.*

VII. V. Cùm reus ad supplicium trahitur, præcedit הקורא seu הכרוז *præco publicus, clamans; Hic vadit ad supplicium, quo subit hanc mortem, quia commisit hoc flagitium, hoc tempore, hoc loco, & N. N. sunt hujus rei testes: propterea si quis quid scit, quod*

(*) Verisimillimum est *Marc.* VI. 27. pro Σπεκκλάτωρα legi debere Σπεκκλάτωρα, qui *spiculum*, à quo *Germ.* Pieke / gerit, & latus regis cingit; cujus modi sunt satellites, sive stipatores Trabanten / Græcè σωματοφύλακες. Speculatorem autem cum spiculatore confudit *Philoxenus in Glossis Latino-Græcis*, cùm scribit, *speculator* κατάσκοπος ὁ ἀποκεφαλίζων idem. Error ex eo est, quòd ι in ε modò conversum, reliquas literas integras sistat. Verùm cùm *Speculator* propriè sit nocturnus explorator, sive nuntius, quem *Censores* Romani ante se mittebant, vel quos alii, ut observarent censores, emittebant, nemo non videt, *Spiculatora* oportere legi, qui erat ex iis, qui stipabant Regem, quales erant illi רצים *Cursores Saulis*, quos jussit obtruncare sacerdotes, 1. *Sam.* XXII. 17. & quos *Luth.* transfert Trabanten / qu. trabende / *currentes*, nam illorum erat decollare, crucifigere, aculeo imponere, & *spicare*, h. e. minutatim concidere.

Landesbibliothek Oldenburg

quod huic prodesse possit, veniat & in medium proferat. Mos. Kots. loc. cit. (3) Quo fine constitutus quispiam fuit in foribus *Consistorii*, manu tenens sudarium, aut vestem lineam, ut eam, si quis illius defensionem suscepturus esset, vibraret; quo viso alius, non procul insidens equo, effuso cursu revocabat damnatum. Imò ubi reus habebat, quod in sui defensionem diceret, quater (4) aut quinquies licebat reverti, nisi vana loqueretur; quare ut accuratiùs illius verba in via ponderarentur, duos ei adjunxerant ex *discipulis sapientum.*

VIII. VI. Admonebatur, ut daret *confessionem*, ne exsors foret futuri seculi. Sic hortatus est (5)

(3) Sic in *Gem. Bab.* legi, ubivis citat *Coccejus* aliive: *Traditio est, vesperâ Paschatis suspensum fuisse Jesum, & præivisse præconem per quadraginta dies, ita clamantem: Prodit iste lapidandus, eò quòd præstigias egit, & persuasit, & seduxit Israëlem; quicunque scit pro eo defensionem, prodeat & proferat; at non inventa est defensio.* Hîc duo notanda. 1. Quòd illi *Verpi* audeant dicere, se distulisse sententiam, in causa Jesu, cùm tamen seductores, (quo crimine ipsum onerârunt injustè,) post mortem demùm à præcone evulgentur. *Cocc. Sanh. c.* 10. §. 4. *coll. not.* 11. 2. Quòd Christus anticipârit Pascha, ut superiùs dictum est.

(4) Quidquid etiam damnatus pro sua innocentia afferret, etsi nihil solidi verbis ejus inesset, reducebatur bis, quia forsan terror causationes ipsius intercluisse putabatur. *Cocc. Sanh. cap.* 6. §. 1. *not.* 3.

(5) Aniles Talmudici ajunt; Josua Achanem suavidicis verbis fefellit, λόγοις αὐτὸν ἐδέκαζεν *hoc modo: Numquid ego aliud à te postulo, quàm confessionem? fatere factum,* &

Josua Achanem. Jos. VII. 19. *Fili mi, tribue nunc gloriam Jehovæ, Deo Israëlis, & da ei confessionem;* cui respondit *Achan vers.* 20. *Sane peccavi Jehovæ Deo Israëlis, & hoc & illud patravi.*

IX. VII. Horâ executionis dabant reo קוֹרֵט לְבוֹנָה בְּכוֹס שֶׁל יַיִן *granum thuris in calice vini, Maimon. in Sanh. c.* 13. item *Mos. Kots. in Sanh.* ut turbarent cerebrum rei, mentemque abalienarent, quominùs cruciatum sentiret. *Marcus* hunc *calicem* vocat οἶνον ἐσμυρνισμένον *vinum myrrhatum. Marc.* XV. 23. Hoc factum est ex more Judæorum; sed milites illusuri admiscuerunt ὄξος μετὰ χολῆς *acetum & fel.* (6) *Matth.* XXVII. 34. Uti quoque

& liber esto. Quo figmento mendacium & fraudem tribuunt tanto Imperatori. Vid. *Cocc. Ex. Gem. Sanh. c.* 6. §. 1. Hic notandum, quòd Magistri Achanem multorum insuper criminum arguant. Vid. ibid. §. 2. Confessio à damnato hæc edita est: *Sit mors mea expiationi pro omnibus peccatis meis.* Quæ confessio confitetur malè sanam Judæorum de satisfactione mentem. *Cocc. Sanh. c.* 6. §. 2.

(6) *Galatinus l.* 8. *c.* 19. ait: *Egressurus occidendus potabatur pulvere incensi in scypho vini, quatenùs separarentur sensus ejus ab eo.* Hoc fecerunt editâ jam in loco supplicii confessione. Vid. *Cocc. Sanh. c.* 6. §. 1. *not.* 1. & *in Addend.* Aliâ autem ratione illud ἐναντιοφανὲς tolli potest, quod occurrit circa potum Christi. Matthæus vocat ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον *acetum cum felle mistum*, h. e. vinum acidum, re amarâ seu felleâ, (seu ea res amara fuerit myrrha, seu thus, seu utrumque,) mistum. Hunc potum bis præbuerunt Salvatori. Primò, antequam cruci affigeretur, sed tum noluit bibere. Deinde postquam ingeminâsset Jesus Ἐλωΐ, item,

que addiderunt ad majorem illusionem secundum *calicem*, *cùm spongiam aceto impletam circumponerent calamo*, *Matth.* XXVII. 48. *Marcus* primo *calice* morem Judæorum refert, qui speciem habet misericordiæ, fundaturque in illo *Prov.* XXXI. 6. *Date siceram pereunti*; *Matthæus* meminit saltem pravæ ipsorum commixtionis consueto mori contrariæ; ita Evangelistæ se invicem explicant. Primus *calix* ita ordinariè ante executionem præbebatur, ut subinde *calix* in S. Scriptura sumatur pro ipsa morte. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. Matth.* XXVI. 39.

X. VIII. Tandem *arbor*, ex qua quis suspensus est, *lapis*, & *gladius*, quibus quis percussus, *linteum*, quo quis strangulatus, humo conde-

 bantur;

item, διψῶ *sitio Marc.* XV. 23. 36. Nam quia Jesus noluerat haurire ὄξος κεκερασμένον, relictum est vas plenum apud crucem. Cùm autem Jesus dixisset Ἐλωΐ & διψῶ, cucurrit quidam ad vas plenum, putans Jesum petiisse ad tempus refici, dum scil. veniret Elias, opemque ferret, arreptæque λόγχῃ seu *arundini*, quâ deinde transfixus est (quòd autem lanceæ & jacula ex arundinibus confecta fuerint, satis notum est, unde

Virg. l. 7. Æneid.
——— *Actaque longo*

Perque uterum sonitu, perque ilia venit arundo) circumposuit hyssopum, seu *Rosmarinum*, ibidem nascentem, ut majore amarore potum inficeret, hyssopoque circumposuit spongiam. Conf. *Vers. nost. N. T. Joh.* XIX. 29.

bantur; (7) ne eadem sinistram interfecti memoriam refoderent, neve dici posset; *hæc est illa arbor, hic est ille gladius, hic est ille lapis, hoc est illud linteum, quo hic confectus est. Casaub. Exercit. p. 654. ex Maimon.*

CAP. VII.

De pœnis & suppliciis capitalibus.

I. ANtiquis Judæis *quatuor* solummodò *mortis genera* in usu erant. *Paraphr. Chald. Ruth.* I. 17. *Mikkotsi. fol.* 188. *Col.* III. Ut I. סְקִילָה *Lapidatio.* II. שְׂרִיפָה *Combustio.* III. הֲרִיגָה *Decollatio.* IV. חֲנֵק *Suffocatio.*

II. Ex his *suppliciis* gravissima fuit *lapidatio*; *combustio* (1) gravior *decollatione*; *decollatio* gravior *suffocatione*; *suffocatio* verò omnium minima.

III. Ca-

(7) Cl. *Leusden. Phil. Hebr. Mixt. Diss.* 74. *p.* 324. citat Autorem nostrum, aitque instrumenta hæc, quibus perière damnati, fuisse igne consumpta. Lapidatus autem ipse non illatus est statim sepulcro, sed tamdiu in supplicii loco relictus, usquedum aut pastus esset à corvis, aut caro ejus putredine soluta, ossa nudâsset, quæ deinde coacervata, in privatum lapidatorum & ustorum sepulcretum congesta sunt. *Cocc. Sanh. c.* 6. §. 5. 6. Hæc sive combustio sive defossio instrumentorum, quibusquis confectus fuit, docuit, debere nos omnem memoriam alienorum malefactorum amittere, & potius in nosmet ipsos, quàm in commemorationem alieni delicti, descendere.

(1) Disputant Magistri, utrum supplicium, *ustio* an *lapidatio*, gravius sit, & deciditur, quòd *lapidatio. Cocc. Sanh. c.* 9. §. 3.

Landesbibliothek Oldenburg

III. Canonem habuerunt, quòd, ubi S. Scriptura loquatur de malefico, *Morte plectetur*, nec exprimat mortis genus, intelligenda sit *strangulatio*. (2) כל מיתה אמורה בתורה סתם אין אלא חנק *Omnis mors, quæ dicitur in Scriptura absolutè, nonnisi strangulatio est*, R. *Salom. Exod.* XXI. 16. E. G. Lex dicit de *adultero Levit.* XX. 10. *morte plectetur*; quia autem genus mortis non exprimitur, *strangulatio* intelligitur.

IV. Ratio hujus regulæ est, quia *strangulatio* erat *supplicium* minimum ex illis quatuor, & ubi Lex mortem non exprimit, ibi ajunt *ampliandi favores*; h. e. æquior interpretatio facienda.

V. Regula tamen illa generalis non est, siquidem antiquis temporibus adulterium (3) *lapidatione* expiabatur. *Judicabo te judiciis adulterarum*, dicit Dominus, *Ezech.* XVI. 38. & illud judicium vs. 40. exprimitur: *obruent te lapidibus.* Pariter Pharisæi dicebant Christo: *Moses præcepit nobis in Lege, ut tales lapidentur. Joh.* VIII. 5.

VI. Priusquam specialius agamus de his quatuor *suppliciis*, quæritur, *num Judæis tempore eo, quo crucifigebant Salvatorem nostrum, fuerit permissum*

(2) De hac Judæorum regula vide *Cocc. Sanh. c.* 7. §. 3. *not.* 8.

(3) *Kimchius ad Ezechiel. c.* XVI. 40. agnoscit *supplicium adulterii* esse *lapidationem.* Idem docetur *Joh.* VIII. 5. Monitum hoc & à Cl. *Sixt. Amama in Antibarb. Bibl. l.* 3. *p.* 961. *Cocc. Sanh. c.* 10. §. 1. *not.* 2.

Landesbibliothek Oldenburg

jus vitæ & necis? Judæi dicebant Pilato *Joh.* XVIII. 31. *Nobis non licet occidere quemquam.* Et recentiores Judæi fatentur sibi omnia *judicia capitalia* 40. annis ante destructionem templi adempta fuisse. *Mos. Kots. in Sanh.*

VII. Resp. *Primò*, sermo Judæorum ad Pilatum, quòd ipsis non liceat occidere quemquam, non intelligi potest ita, ac si dixissent; Non (4) habemus

(4) Superiùs jam aliquid dictum est, quòd Judæis tum temporis *judicia capitalia* ablata fuerint, hîc amplius probabimus, & unà ad Autoris argumenta respondebimus. *Primò* ergo invictum argumentum est, quòd fuerint ablata, quia Judæi ipsi hoc in Talmude fatentur, qui aliàs adeo gloriæ tenaces sunt, ut putem, ipsos nequaquam hoc ita simpliciter fassuros fuisse, si ista confessio ullatenùs limitari restringique posset. *Secundò* locus *Joh.* XVIII. 31. pro hac stat sententia. Neque est quod excipiatur, ipsis non licuisse occidere quemquam, aut condemnare ob sanctitatem temporis & τὴν παρασκευήν. Nam si hoc, cur consilium πρεσβύτεροι inierunt in *parasceve* manè, quo temporis articulo solitum fuisse congregari *Synedrium*, superiùs dictum est? *Matth.* XXVII. 1. Aut an tantum Judæi Christum condemnare, Pilatum autem crudelitatis suæ ministrum voluerunt? Et, si Doctor refractarius fuit interficiendus in festo, quomodo hoc fieri potuit juxta opinionem Autoris, ubi nondum Præses Romanus summam rerum tenuit inter Judæos? Atqui refractarius fuit interficiendus in festo *Cocc. Sanh. c.* 10. §. 4. *Tertiò*, quando Pilatus Judæis dicit; *accipite eum vos & secundum legem vestram judicate*, non concessit ipsis potestatem interficiendi Jesum, sed suâ αὐτονομίᾳ, quam ipsis Romani reliquerant, utendi, h. e. ipsum aut flagellandi, aut bonis multandi, aut ἀποσυνάγωγον faciendi. Hoc elucet ex responsione Judæorum; *nobis non licet quemquam occidere*; q. d. Tu das nobis

mus jus vitæ & necis in quemquam. Nam, posito, ipsis in genere fuisse adempta *judicia capitalia*, attamen in hoc singulari casu concessa ipsis erat pro præsenti potestas à Pilato. *Accipite eum vos, & secundùm legem vestram judicate. Johan.* XVIII. 31. Nihilominùs tamen etiam dici nequit, quòd suâ ipsum lege non potuerint damna-

bis potestatem jure nostræ legis utendi, at si ille puniendus est secundùm legem nostram, interficiendus erit, seductor enim populi est. Nobis autem non licet interficere quemquam. Huc pertinet, quod dicunt *Joh.* XIX. 7. *Nos legem habemus & secundùm legem nostram debet mori. Quartò*, si quis excipiat. Pilatum tamen non tantùm dixisse, λάβετε αὐτὸν καὶ κρίνατε *Joh.* XVIII. 31. sed etiam λάβετε αὐτὸν καὶ σταυρώσατε *accipite eum & crucifigite.* Resp. Pilatus, laniato spinis, flagellis, ictibusque *Jesu*, ad commiserationem adductus, Judæos quoque miserando ejus adspectu movere voluit, verùm, illis suum *crucifige, crucifige* crocitantibus, irâ accensus, regessit hæc Judæis: *accipite ergo eum vos ipsi, & crucifigite*, q. d. Vos Judæi putatis omnia pro vestra sententia esse facienda, quasi ipsi rerum domini essetis, quasi ego Præses à vobis dependerem; quòd si eò vestram putatis surgere potestatem, en agite, sumite Jesum & crucifigite. Quòd hic sensus verborum sit, patet ex responsione Judæorum, qui ajunt; *Nos legem habemus & secundùm* &c. q. d. Pilate, succensere nobis noli, quod adeo urgeamus necem istius hominis. Seductores & blasphemi nostrâ lege interficiendi sunt, Dei iram in nostram regionem irritaremus, si ille superstes relinqueretur, propterea communis salutis amantes ut & Legis Divinæ, petimus, crucifigas eum. Quòd si objicias, Stephanum esse lapidatum à Judæis. Resp. Per excitatum tumultum id factum. *Act.* VII. 57. His ita se habentibus, facile est respondere ad locum *Act.* XVIII. 14. 15. scil. Gallio dicit; ad se spectare judicia capitalia, ad Judæos, flagella, excommunicationes &c.

damnare, si fuisset transgressor legis, aut quòd ex sua lege non habuerint, quod objicerent; dicunt enim: *Nos habemus legem, & secundùm legem nostram debet mori.*

VIII. Non ergo deerat ipsis potestas, sed temporis sanctitas jubebat ipsos dicere; *non licet nobis.* Ducebant enim illicitum esse, diebus τῆς παρασκευῆς considere, & judicare causas capitales, quemadmodum demonstratum est *Cap. de transposit. Festor.* At die *Veneris*, quo noster Salvator in crucem actus est, erat *parasceve Sabbathi.*

IX. *Secundò*, in quæstione, num *judicia capitalia* ipsis fuerint adempta à Romanis, distinguenda sunt crimina. Quædam *maleficia* arietabant in legem Romanam, ut *furtum*, *cædes*, *rapina*, &c. Hæc judicandi facultas ipsis erepta erat. Alia autem *maleficia* erant contra legem Mosis, ut *blasphematio* &c. quæ judicare ipsis licebat. Paulo à Judæis ad Gallionem ducto, respondit Gallio *Act.* XVIII. 14. 15. Εἰ μὲν οὖν ἀδίκημά τι ἢ ῥᾳδιούργημα πονηρὸν ἦν, ὦ Ἰουδαῖοι, κατὰ λόγον ἠνεσχόμην ὑμῶν· εἰ δὲ ζήτημά ἐστι περὶ λόγου, καὶ ὀνομάτων, καὶ νόμου τοῦ καθ' ὑμᾶς, ὄψεσθε αὐτοί. *Si qua injuria aut facinus malum esset, ô Judæi, quantum ferret ratio, vos tolerarem; quum autem sit quæstio de sermone, ac nominibus, & lege vestrate, ipsi videritis.* (†*)

X. In

(†*) Qui statuunt, Principis Politici, sive civilis Magistratûs curam ac munus propriè non versari circa æternam animarum salutem, sed tantum circa salutem Reipublicæ temporalem, inter alia N. T. loca & hunc de *Gallione* adducunt. Cujus sententiæ Maximi nominis & Theologi

X. In descriptione horum quatuor *suppliciorum*, notandi sunt *malefici*, quos Judæi alicui adjudicant *supplicio*, & deinde *modus suppliciorum*. Homines *lapidandi* erant numero octodecim. *Moses Kotſ. fol.* 188. *col.* 4. 1. *Qui concumbit cum matre.* 2. *Aut cum patris uxore.* 3. *Qui rem habet cum nuru.* 4. *Aut cum puella desponsa.* 5. *Aut cum mare.* 6. *Aut cum jumento.* 7. *Mulier, quæ jumentum admittit.* 8. *Blasphemus.* 9. *Idololatra.* 10. *Qui dederit ex semine suo Molecho.* 11. *Pythomantis.* 12. *Hariolus.* 13. *Qui palàm ad apostasiam impellit.* 14. *Qui clàm ad apostasiam incitat.* 15. *Magus.* 16. *Profanator Sabbathi.* 17. *Qui maledicit patri, itemque matri suæ.* 18. *Filius contumax & rebellis.*

XI. *Mo-*

ologi & Jurisconsulti sunt. Videatur *Speuerus*, p. m. de *Libertate fidel.* & alibi, & *Thomasius* P. P. *Hall.* de *Jure Principis* &c. & *Ger. Noodt Prof. Lugd.* in *Dissert.* nupera de *Religione ab Imperio*, *Jure Gentium Libera*, quam ob elegantiam sermonis, rerumque pondera Belgæ è Latina in Batavam Linguam transferre operæ pretium duxêre. Hic p. 25. ita loquitur: *Existimo, magnam esse atque excellentem Principis in civilibus negotiis autoritatem; sed in Religione non supra cæteros haberi*; ac, *si ei præscribat regulam, quam & pœnis adversus contumaces sanciat, Divini, i. e. alieni rem imperii eum attingere, nec tantum nihil magnopere præstare, sed ne à tyrannide quidem excusari posse.* Et p. 33. *quanquam alius longius, quàm Tu ô Princeps, à vero absit, quid ad Te? Si enim delirat, non tibi, sed sibi delirat; ac si miserum dicere queas, cui non æque faveat Deus, non id circò improbum ac nefarium dicere poteris. Fuerit igitur dignus cujus miserearis, at non est dignus, quem persequaris novo ac singulari odii genere; Nisi velis cœco irasci quòd non videat, claudo, quòd non incedat rectus, aut manco, quòd non sit integer—Infelix igitur est, non malus, nec jure humanæ societatis pœnam meretur, qui adversus eam non deliquit. &c.*

Landesbibliothek Oldenburg

XI. *Modus lapidationis* ita habuit. *Maleficus* ducebatur ad locum extra portam, qui altus erat geminam hominis longitudinem, ex quo revinctis manibus ab altero testium detrusus est, ut in lumbos caderet. Hoc casu si exanimatus non esset, testes levârunt lapidem, parem robori duorum virorum, quem testium alter in pectus immisit. Si nec hoc ictu confectus esset, à toto Israële lapidibus obruebatur. *Manus testium primò in illum sit, ad ipsum interficiendum, & manus totius populi deinceps. Deut.* XVII. 7.

XII. Hinc sententia *R. Akibæ* vulgò recepta est, scil. quòd ejusmodi idololatra (item alii neci addicti) custoditus fuerit ad festum aliquod solenne, quô tota Israëlis multitudo Hierosolymam confluebat. *P. Fagius, Deut.* XVII. 7. Homo hoc *supplicio* affectus & interfectus, ad augendam ignominiam ex arbore (5) suspensus est usque ad occasum Solis, quo tempore & is & arbor humati sunt.

XIII. *Malefici combustioni* destinati numero decem erant. *Mos. Kotf. loc. cit.* 1. *Filia Sacerdotis* (6) *scortata.*

(5) Reges Judæorum etiam vivos suspenderunt, sed *Sanhedrin* nonnisi lapidibus jam examinatos. Suspendium hoc *lapidatorum* præceptum rentur, *Deut.* XXI. 22. 23. Suspenderunt autem ipsos vergente ad occasum Sole, & quasi in puncto occasûs, ita ut uno ligante alter solveret, ad satisfaciendum solummodò præcepto. *Cocc. Sanh. c.* 6. §. 4.

(6) De omnibus his speciebus agere hîc non licet ob chartæ angustiam. Saltem hîc notamus de *filia Sacerdotis*, quòd

scortata. 2. *Qui init filiam suam.* 3. *Aut filiam filiæ.* 4. *Aut filiam filii.* 5. *Aut filiam uxoris suæ.* 6. *Aut filiam filii ejus.* 7. *Aut filiam filiæ ejus seu neptem.* 8. *Aut socrum suam.* 9. *Ejusve matrem.* 10. *Ut & matrem soceri.*

XIV. *Modus combustionis* fuit duplex. Quosdam *comburebant* ligno & fasciculis. Hoc vocabatur *combustio corporis. R. Levi. Lev.* X. Alios *comburebant* liquato plumbo ori (7) infuso, quod in viscera descendens ipsos enecabat, corpore integro manente; quare dicebatur *combustio animæ.* Posterior modus usitatissimus fuit, & à multis ipsorum Scriptoribus solus memoratus.

XV. *Malefici decollandi* duûm generum erant; *Mos. Kotf. in Sanh.* 1. *Homicidæ.* 2. *Incolæ urbis ad idololatriam prolapsæ.* Hujus *decollationis modus* hodieque (8) usitatus est.

XVI.

quòd omnes Rabbini consentiant *Lev.* XXI. 9. sermonem non esse de *libera*, sed aut de *desponsata*, aut *domum deducta.* Vid. *Cocc. Sanh. c.* 10. *§.* 1. *not.* 4. & *c.* 7. §. 2.

(7) Quemadmodum *strangulandis*, sic *comburendis* injectum linteum est, tractumque usquedum os ipsorum hisceret. Quòd si moreretur sub manibus executorum, linteum trahentium, apertum est os ejus forcipe, invitoque ori candens metallum illiquatum. Putabant aliàs *combustionis* præcepto satisfactum non esse. Vid. *Cocc. l. c. priori not.*

(8) Duplici modo præcidebant Judæi sontibus capita. 1. Aut *ense*, quemadmodùm multi hodieque populi. 2. Aut *securi*; ubi caput trunco terræ impacto, quali utuntur fabri ferrarii, imponi oportuit. Quemadmodum olim lictores Romani & etiamnum Angli *securibus* percutiunt reos. Ibid. §. 3.

Landesbibliothek Oldenburg

XVI. *Malefici strangulandi* sex numero erant. 1. *Qui patrem matremve pulsaverat.* 2. *Qui animam ex Israële furatus fuerat.* 3. *Presbyter edicto Senatûs seu Consistorii obnitens.* 4. *Mendax vates, & qui vaticinatur in nomine idoli.* 5. *Qui cum alterius uxore concumbit.* 6. *Qui cum filia Sacerdotis rem habet.*

XVII. *Modus strangulationis* ita fuit: Damnatus fimo immergitur ad genua usque, linteumque collo ejus circumdatum, à duobus executoribus hinc inde in diversa tamdiu trahitur, usquedum exanimetur.

CAP. VIII.

De Pœnis non-capitalibus.

I. *Minores* seu *non-capitales pœnæ* Judæis usitatæ præprimis quatuor fuerunt. 1. *Captivatio.* 2. *Restitutio.* 3. *Talio.* 4. *Flagellatio.*

II. 1. *Captivatio.* Sub ea comprehenduntur *carcer*, *ejusque catastæ*, *vincula*, *compedes*, *manicæ* &c. Quæ *pœnarum* genera, quum parùm aut nihil differant ab iis, quæ apud nos hodie (1) in usu sunt, explicatione non indigent.

III. Δεσ-

(1) Fuerunt & Judæis sui *carceres*, & quidem iidem, qui hodieque in usu sunt apud nos, ut sunt ubivis locorum arcæ, in quibus, qui induntur, neque erecti stare, neque sedere, neque adeo cubare possunt. Cujusmodi *carceres* fuerunt Judæis dicti כִּיפּוֹר à כָּפַף *curvavit.* Talem *custodiam* ἀναγκάζουσαν quidam fuisse autumant illud מַהֲפֻכָה *Jer.* XXIX. 26. *Cocc. Sanh. c.* 9. §. 3. *not.* 3.

III. Δεσμοφύλακες *carcerum custodes*, cùm quis custodiâ ipsorum elaberetur, eâdem, quâ afficiendi fuerant elapsi, tenebantur pœnâ. Hoc colligitur ex 1. *Reg.* XX. 39. *Custodi virum istum, si desiderando desiderabitur, anima tua loco animæ ipsius erit.* Quod attinet *liberam custodiam*, quam *Drusius præt.* 2. *Tim.* I. 18. demonstrat Romanis in usu fuisse, dubito valdè, num illa apud Judæos usitata fuerit.

IV. Quòd ejusmodi *captivi* Romæ interdiu exiverint ad opera sua, non adeo duris compedibus onusti, vesperâ autem ad ergastulum redierint, alibi à me (2) annotatum est. *Et eadem catena & custodiam & militem copulat*; ubi nota, quòd *custodia captivum*, (†) *miles custodem* significet, & quòd *Drusius* exprimat sensum *Senecæ*, non verba, quando dicit: *Eadem catena tam reum quàm militem tenet. Senec. epist.* 5. non *in libr. de tranq. c.* 10. quemadmodum citatur à *Drusio.*

V. Porrò nota, quòd *captivi* dextra alligata fuerit *custodis* sinistræ, quia dextra fortior est, & jure libera esse debet potiùs *custodi*, quàm *custodiæ.*

(2) Hæc Autor latiùs diduxit & annotavit in Libro, cui titulus, *Romanæ historiæ Anthologia, lib.* 3. *sect.* 3. *cap.* 9. Quem quoque ex Anglica in Belgicam linguam trajectum Rever. Viri *D. Peenii* laboribus acceptum ferimus.

(†) Sic cum LXX. *Psal.* 68, 19. Paulus *Eph.* 4, 8. ait, *captivam egisti captivitatem*, ἠχμαλώτευσας αἰχμαλωσίαν; h. e. Tibi prædam fecisti eos, qui erant captivi & servi Mundi, carnis, Satanæ, legumque carnalium, seu Elementorum κοσμικῶν, & qui erant sub condemnatione, & in fovea. *Esa.* 61, 1, 2.

Landesbibliothek Oldenburg

Hinc illud; *Tu forte leviorem in sinistra putas catenam. Senec. de tranq. cap.* 10. *Custos* enim se-ipsum eâdem catenâ spontè ligat, non pœnæ ratione, sed ut eò tutior custodia *captivi* sit.

VI. II. *Restitutio.* Ea mandata est, ubi opes erant *injustè acquisitæ, aut per nefas retentæ, Exod.* XXII. fuitque triplex. 1. *Secundùm idem*, quando eadem res reddebatur, quæ per nefas erat acquisita. 2. *Secundùm æquale*, quando tantumdem reddebatur, opibus illis, quæ per nefas erant acquisitæ, venditis, aut amissis. 3. *Secundùm possibile*, cùm reddebatur, pro facultatibus viri, qui nequibat omnia restituere. *Thom. Aquin. secund. sec. q.* 62.

VII. *Restitutio secundùm idem* præprimis præcepta fuit. Hinc, si apud quem furtum, sive id bos, sive ovis fuisset, vivum repertum esset, *duplo* (3) tantùm rependebat. *Exod.* XXII. 4. Si autem idem vel mactatum vel venundatum esset, tum *quinque juvenci pro uno bove* reddebantur, & *quatuor oves pro parva pecude una. vers.* 1.

VIII. Ju-

(3) Hoc loco *Exod.* XXII. 1-5. Lex furi clanculario pœnam *dupli*, *quadrupli*, & *quintupli* irrogat; sed aperto raptori, cujus culpa & impudentia multo major videtur, injungit pœnam minorem, *Levit.* V. 24. cujus rationem Judæi hanc dant, dicentes; זֶה הַשּׁוֹוֶה כְּבוֹד עֶבֶד לְכְבוֹד קוֹנוֹ וְזֶה לֹא הִשְׁוָה כְּבוֹד עֶבֶד לְכְבוֹד קוֹנוֹ *Hic æquat honorem servi cum honore possessoris, & ille non æquat honorem servi cum honore possessoris.* H. e. Raptor non magis homines reveretur quàm Deum, fur plùs homines quàm Deum. *Cocc. Exc. Gem. Sanh. c.* 7. §. 5. *not.* 6.

Landesbibliothek Oldenburg

VIII. Judæi hac in parte tam accurati erant, & ἀκριβῶς agebant, ut, si quis trabe vel alio ligno per nefas acquisito suam domum struxerat, domum demoliri, eamdemque trabem & lignum Domino proprio restituere non dubitârint. *Dav. Kimchi.* Huic ferè convenit *Habacuc* II. 11. *Lapis è pariete clamabit, & trabs è ligno respondebit illis.* Inter Judæos ille, qui non sufficiebat reddendo, erat vendendus. *Exod.* XXII. 3. Et *Augustinus ep.* 54. de Christianis ait; *Non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum.* (*)

IX. III. *Talio.* Erat ea *æqualis retributio. Dentem pro dente, oculum pro oculo, manum pro manu, pedem pro pede. Deut.* XIX. 21. *Talio* autem duplex est. *Talio identitatis*, seu *Pythagorica*, quæ erat secundùm literam legis, cum *maleficus* multabatur (4) *oculo*, quia alii *oculum* eruerat. Deinde

(*) Insignem ante paucos annos tractatum linguâ Gallicâ conscripsit vir optimus *La Placette*, concionator Aulicus Reginæ Daniæ, de summa necessitate *Restitutionis*. Et sanè dolendum est, quòd hocce Christiani hominis officium non vehementius inculcetur; quùm tamen omnes illi, qui diem obeunt, antequam ablata, vel Deo in pauperibus, vel si sint superstites, proprietariis, vel si ipsi non fuerint reddendo, peccati confessione & pœnitentiâ resarserint, in continuis peccatis mortui dicendi sint.

(4) In XII. tabulis Roman. hæc lex scripta fuit: *Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto. Agell. l.* 20. *c.* 1. Vel ut alii legunt; *Si membrum ruperit meum, è pacto talio esto. Cam. Hor. subc. cent.* 1. *c.* 99. Quæ lex, cùm mandaret *talionem*

Talio similitudinis seu *analogica*, ut, si pretium *oculi*, aut alia multa æqua, pro *oculo* eruto, aut pro alio membro læso reddebatur. Hebræis placet *Talio similitudinis*, non *talio identitatis*, exponentes; *oculum pro oculo*, id est, *pretium oculi*. *Targum Jonath. Deut.* XIX. 21. item *R. Salom.* ibid.

X. Quia *talio identitatis* in aliquibus casibus impossibilis est; ut, si *cœcus* erueret alii *oculos*, aut *edentulus* excuteret alii *dentes*; propterea in casibus corporalis læsionis Magistri Hebræorum statuunt, *partem ream* teneri *satisfactione quintuplici*. (*Vid. Munster. Exod.* XXI.) 1. *Pro damno amissi membri*. 2. *Pro damno neglecti laboris*. 3. *Pro dolore & molestia*, quæ evenerunt ex vulnere. 4. *Pro sumptibus & expensis in sanatione*. 5. *Pro ignominiæ & deformationis nota*. *Munsterus* hæc quinque ita transfert: *vid. Exod.* XXI. *Damnum*, *læsio*, *dolor*, *medicina*, *confusio*. Romanorum quoque legibus jus *Talionis* exstabat, (†) relictâ tamen malefico libertate, utrùm

talionem Pythagoricam, multamque incommoditatem secum ferret, à Prætoribus abolita & relicta est. Nam homo læsus, cui membrum ab alio ruptum est, si alteri itidem per *talionem* rumpere velit, non potuit accuratè æquilibrium rumpendi membri efficere, adeoque nec *talionem*. Quid si quis membrum alteri imprudens rupisset? debuisset-ne per imprudentiam *retaliari*? De Judæorum πανοπαδεία peculiare caput habet *Weemse Synag. Christ. l. 1. c. 6. sect. 8. paragr. 6. diatr. 3.*

(†) Ab Impp. in *Codice Theodosiano lib. IX. l. 3. tit. 2. de exhibendis vel transmittendis reis*, *Talio* (quæ vox venit à *Talis*, e, & hæc à Græc. πλίκος) appellatur *pœna reciproci*

utrùm mallet rependere multam æqualem, an itidem membrum sibi per *talionem* rumpi. *Vid. Agell. lib.* 20. *cap.* 1.

XI. IV. *Flagellatio.* Ea duplex fuit; aut fiebat *virgis*, aut *flagellis*; posterior priore gravior est, uti patet ex illo dicterio; *Porcia Lex virgas ab omnium civium corpore amovit, hic misericors flagella retulit.* Cic. *pro Rabirio.* Utraque Romanis usitata fuit, posterior (5) sola Hebræis. Hæc *flagellatio* mandata est *Deut.* XXV. 2.3. Ubi determinatur ictuum numerus, quem transcendere Judici non licuit. *Quadragenis plagis flagellandum eum curabit, non addet.*

reciproci. Theophilus instit. de Injur. §. pœna injur. vocat ταυτοπάθειαν. Placuit hoc jus *Rhadamantho*, Regi Lyciæ, qui, quòd fuerit severus justitiæ minister, fingitur à Poëtis apud inferos noxiorum culpas examinare. Quid *Aristoteles* senserit de jure Talionis, quod vocat ἀντιπεπονθός, videre potes *Lib. V. Ethic.* Quicquid sit, certè Lex talionis, quam Moses tulit, indicat, & in hoc & in futuro seculo peccatores si non pœnas identitatis, saltem similitudinis daturos, ut sic accuratissima Dei justitia emineat. *Jud.* 1. 7.

(5) Præter *flagellationem*, alia prætorea *vapulatio* Judæis usitata fuit, nim. *fustigatio*, quæ fiebat τῷ חֹטֶר seu מַקֵּל *baculo.* In quo pœnæ genere certus plagarum numerus non est, sed is gravitati criminis attemperatus erat, poteratque ex arbitrio Judicum ad necem sontis cumulari. Vid. *Cocc. Exc. Gem. Sanh. c.* 1. §. 9. *not.* 3. ut & §. 10. *not.* 1. ubi *virgæ* seu *baculi* & *lora* distinguuntur. Vide & ejusdem *Maccoth, c.* 3. §. 1. *not.* 2.

XII. Judæi multis in rebus ſtudebant ſanctiores eſſe, quàm Lex ab ipſis videbatur exigere. E. G. Deus præcepit *Sabbathum*; illi addiderunt *Sabbathulum*, h. e. orſi ſunt ſuum *Sabbathum* unâ horâ priùs; & claudebant unâ horâ tardiùs, quàm Lex jubebat. Deus ipſis vetuit veſci idolothytis, idolorumque libamina bibere, illi vetuerunt omnem prorsùs compotationem cum Gentibus, quoniam incertum ſit, utrùm idolis conſecratum fuerit, an non. *Thisbites* in נסר. Deus ipſos jubet tempore Paſchatis *fermentum ædibus expurgare*, ſed illi toto feſto illius nomen ore proferre metuebant. *Thisbit. in* דבר. Deus ipſis prohibet *ſuillam*, verùm illi horrent porci nomen appellare, vocantque ſuem דָּבָר אַחֵר *Rem aliam. Elias Thisb. ibid.* Simili modo Deus jubet inſignes *maleficos*, verberibus dignos, 40. plagis cædi, at illi in extrema *flagellatione* tantùm 39. impegerunt. (6) *A Judæis quinquies quadragenas plagas accepi, unâ minùs.* 2. Cor. XI. 24.

XIII.

(6) Varias Judæi hujus detractionis rationes dant. Quidam ajunt in Lege dici *numerum quadragenarium*, id eſt, proximum quadragenario per rotunditatem. Alii rationem hanc putant fuiſſe, quia אָחִיךָ *frater tuus*, *Deut.* XXV. 3. numerum habet 39. Alii hanc, & quidem veriſſimam, rationem produnt, ſcil. ne, ſi lictor per errorem unam plagam addidiſſet, Legem transgreſſus videretur: nam ultra 40. ictus procedere Lege prohibitum eſſe, pauciores autem irrogare non eſſe nefas. *Cocc. Maccoth. c. 3. §. 10. not. 12.*

Landesbibliothek Oldenburg

XIII. Propterea *flagellum* habebat tria (7) lora, ita ut singulis ictibus trifariam cæderetur. Unde in severissima *flagellatione* tantùm 13. ictus inflicti sunt, h. e. *quadraginta minùs uno.* Utrùm autem unum ex his loris fuerit bubulum, & ambo reliqua ex pelle asinina confecta, *Talmud. lib. Maccoth. c. 3. in Mischn.* aut an singula tria vitulina (8) fuerint, non facit ad rem; quævis sententia suos habet statuminatores. *Baalturim.* Vid. *Drus.* 2. *Cor.* XI. 24.

XIV. *Modus flagellationis* ita habuit. Sontis ambæ manus adstringebantur ad palum, unum & dimidium cubitum altum, super quo corpus inclinabatur. *Prosternet eum Judex. Deut.* XXV. 2. *Palus* iste vocatur עמוד *columna.* Vestis ipsius ad lumbos detrahebatur vi, sive ea rumperetur, sive dissueretur. *Talmud. ibid.* στρατηγοὶ περιρήξαντες τὰ ἱμάτια Παύλου καὶ Σίλου, ἐκέλευον ῥαβδίζειν. *Duces, dissutis Pauli & Silæ vestibus, jusserunt ipsos cædi. Act.* XVI. 22.

XV. Ut lictor infligeret æquum numerum plagarum ratione delicti, *flagellatio fiebat in oculis Judicis. Judex eum curabit cædendum coram facie sua.*

(7) Vide ibid. §. 12. *not.* 13. Ipsam *flagelli* formam expressam habes apud *Weemse Synag. Christ. ibid. Diatrib.* 2.

(8) Qui dicunt duo *lora* fuisse *asinina*, & tertium *bubulum*, simul ajunt, quòd *lorum bubulum*, quum fuerit reliquis longius, extremitate suâ ad ventrem pertingeret, & sic pectus aversum, *lora* autem *asinina* dorsum adversum plecterent. Scil. Asinis hæc persuadenda!

Landesbibliothek Oldenburg

Deut. XXV. 2. Judex, qui inter tres præstabat, sonantibus flagris, legebat aut recitabat illud *Deut.* XXVIII. 58. *Si non observaveris, ut facias omnia verba legis hujus, mirabiles faciet Dominus plagas tuas* &c. *Talmud. ibid. Alter Judicum* numerabat plagas; *Tertius* jubebat lictorem ferire. *Primus Judicum* finiebat, dicens; *Et ipse misericors expiabit iniquitatem. Psal.* LXXVIII. 38.

XVI. Subinde, ut exacerbarent plagas & dolores insignium nebulonum, certos plumbi bolos, aut rigidas spinas lororum extremitatibus annectebant. Hanc *flagellationem* Græci vocârunt μάστιγας ἀστραγαλωτὰς *flagra taxillata. Eustathius. Item Athenæus l.* 4. In Scriptura dicuntur עקרבים *Scorpiones.* (9) *Pater meus vos castigavit scuticis, ego verò vos castigabo scorpionibus.* 1. *Reg.* XII. 11. *Tholosan. Synt. Jur. Univers. l.* 31.

CAP.

(9) *Bochartus* vocem istam Hebr. putat dici quasi עקץ רב, quia μακρόκεντρος *multis stimulis* implexus est ejusmodi *scorpio.* Hoc pœnæ genere Galli in sacrorum *Cybeles* transgressores animadverterunt. *Plutarch. in Colot. fin.* Alii istos עקרבים putant fuisse baculos spinis aut κέντροις plenos, qui pungebant, & dolorem adferebant. Quicquid in modum caudæ scorpii flectitur, scorpionem dixêre antiqui, περὶ τὸ σκαιῶς ἕρπειν, *ab oblique rependo.* Sic Latini *uvam marinam* scorpium vocant, sic & *tutulum crinium* in pueris. Erat & machina bellica *scorpius* Latinis dicta, à forma æquè ac ab effectu, quòd parva spicula venenata emitteret.

Landesbibliothek Oldenburg

CAP. IX.

De Suppliciis ab aliis nationibus adscitis.

I. S*Uppliciorum* ab aliis gentibus adscitorum *sex* præprimis fuerunt. 1. *Crux.* 2. *Serræ dissectio.* 3. *Damnatio ad bestias.* 4. Τροχός *Rota.* 5. Καταποντισμός *Submersio in mari.* 6. Τυμπανισμός *Fustuarium.* *Primum* & *ultimum supplicium* propria Romanis erant; *secundum* quoque Romanis usitatum fuit, num autem ab iis adscitum sit, dubitatur; *quartum* & *sextum* Græcorum erant; *quintum*, quoad rem ipsam, *Romanis*, *Græcis*, & *Hebræis* in usu fuit; differt tamen apud singulos, *submergendi modo.* Necesse est de singulis aliquid delibâsse.

II. 1. *Crux.* Hæc vox sæpiùs tribuitur *arbori*, seu *palo simplici*, *quo homo interemptus est.* (1) Magis tamen propriè tribuitur *ligno duplici præparato*, &

(1) *Kipping. de cruce Exerc.* 12. negat contra *Lipsium l.* 1. *c.* 5. stipitem simplicem sine ligno transverso dici posse *crucem*, sed probat, fuisse peculiare *supplicium.* *Furcæ* enim & *crux* differebant. Illa erat stipes rectus, cum duobus cornibus, instar literæ Y. Inter quæ cornua facinorosi caput interserebant, manibus ad cornua alligatis, & sic gestantes furcam, sive patibulum, (ita dictum non à patiendo, sed à patendo, uti latibulum à latendo

in crucis formam connexo. Prior *crux*, vocatur *Crux simplex*, posterior, *Crux compacta.* Posterior rursùs est triplex: 1. *Decussata.* 2. *Commissa.* 3. *Immissa.*

III. *Crux decussata* (2) componebatur ex duobus lignis æqualibus, in medio sui transversè invicem junctis, formâ τῆ X Romani. Et hinc vocatur *decussata*; *decussare enim est per medium secare, veluti si duæ regulæ concurrant ad speciem literæ X, quæ figura crucis est. Hieron. in Jer.* XXXI. Hæc *crucis* species vulgò dicitur *Crux Andreana*, quia is tali *cruce* suspensus esse proditur.

IV. *Crux commissa* (3) est, ubi lignum rectum commissum est mediæ antennæ seu ligno transverso,

latendo &c. nempè à patentibus ramis sive cornibus) à ponè sequente carnifice vel militibus aut conservis, virgis cædebantur, idque sæpè ad mortem usque, aut etiam cæsi crucifigebantur. Crux autem similis erat Literæ T.

(2) *Kipping. de cruce Exerc.* 14. §. 2. ait; *Crux decussata est fabula, ac solo Andreæ supplicio nititur.* Non parùm dubitat *Justus Lipsius* de istis circa *Andream* ejusque *crucem* actis, & fabulosa plurima addita esse, fatentur *Cæsar Baronius notis ad Martyrolog. Rom. p.* 538. *Henricus Spondanus in epit. Annal. p.* 124. *num.* 13. Hæc *crucis* forma celebris esse cœpit tempore *Constantini*, qui signum X è cœlo vidisse refertur, istamque formam labaro inscripsisse. Est autem prima litera in nomine χριστός.

(3) Idem Autor *Exerc.* 16. probat unicè *crucem immissam* usitatam fuisse, *crucem* autem *commissam* esse picturam atque figmentum; & quidem duas addit rationes. 1. Quia elogi-

verſo, quod paulò brevius erat ligno recto, formâ Romani T. vocaturque *Crux Antoniana*, quia ſæpiùs cum ejuſmodi *cruce* pingitur.

V. *Crux immiſſa* erat ex ligno transverſo breviori, quod tranſibat rectum palum, non planè in medio, ut *crux decuſſata*, nec planè in vertice, uti *crux commiſſa*, ſed paulò demiſſiùs, hâc formâ †. Hæc putatur fuiſſe *Crux Chriſti*, *ex qua pependit benedictus Salvator noſter. Lipſius de cruce lib.* 1. c. 10.

VI. *Circumſtantiæ*, quibus in *crucifixione* Romani utebantur, hæ erant; Primò, *cædebant* ſontem, & ſubinde ipſum columnæ alligabant, cùm cæderent. *Joſeph. Excid. lib.* 7. c. 32. *Philo contra Flaccum.* Item *Livius lib.* 1. *Artemidorus* clarus eſt hac in re: προσδεθεὶς κίονι πολλὰς ἔλαβε πληγάς. *Alligatus columnæ multas accepit plagas. Plautus in Bacch.* videtur huc reſpexiſſe. *Abducite hunc intro, atque adſtringite ad columnam fortiter.* Patres antiqui produnt noſtrum Salvatorem ita alligatum columnæ cæſum fuiſſe. *Prudent. Hieron. Beda. Vid. Lipſium de Cruce lib.* 2. c. 4. Scriptura utrumque tacet, nempe locum & modum *flagellationis*; in genere tantùm dicitur, quòd ſit cæſus: τὸν Ἰησοῦν

elogium ſeu titulus ſemper debuit ſuperimponi, cùm tamen in *cruce commiſſa* hoc fieri nequiverit. 2. Quia patibulum ſeu antenna non fuit ſtipiti affixa, ſed tantùm ex ramo abſciſſo infra verticem ſuſpenſa; ſic ut hæc penſilis antenna non potuerit *cruci commiſſæ* ita inhærere, quominùs à poſteriori parte dimoveretur, & ſic delaberetur.

Landesbibliothek Oldenburg

Ἰησοῦν φραγελλώσας postquam flagellâsset (4) Jesum, tradidit ipsum ut crucifigeretur. Matth. XXVII. 26. Secundò, injiciebant humeris illius *crucem* (5) portandam. *Malefici cùm ad supplicium educuntur, quisque suâm effert crucem. Plutarch. de sera Num. vind. Sic Jesus suam tulit. Joh.* XIX. 17. Huc respicitur *Matth.* X. 38. *Qui non suscipit crucem suam* &

(4) Hæc Christi *flagellatio* fuit contraria mori Judæorum, qui quos flagellârant dimittebant. Pilatus videtur voluisse observare hunc ritum, nam Christum flagellare voluit, non crucifigere; παιδεύσας αὐτὸν ἀπολύσω. *Luc.* XXIII. 16. etsi Romani *cruciarios* priùs flagris aut fustibus corriperent, quàm suspenderent. Interdum etiam Romani *cruciarios*, *crucem portantes*, in ipsa via flagris & stimulis aculeatis impellebant; licèt hoc Autor *Anthol. l.* 1. *sect.* 3. *c.* 4. in dubium vocet. Quidquid sit, seu Christus in via quoque percussus, ut nullus dubito, seu non, in prætorio tamen creberrimos sustinuit ictus: unde *Alex. Rosæus Virg. Euang. l.* 11.

Heu multo Christi violârunt vulnere corpus!
Multa cavo lateri ingeminant, & pectore vastos
Dant sonitus, erratque aures & tempora circum
Crebra manus, duro crepitant sub vulnere malæ.
O mihi si tanto manarent lumina fletu,
Quanto, Christe, tuo manavit sanguine corpus!

(5) Controvertitur, utrùm *cruciarii* totam *crucem* gestârint, an verò partem? Sed qui posterius statuunt, certiùs eunt. Nam quando à tergo traxit *crucem cruciarius*, quomodo tergo flagella excepit? cùm tamen illa plerumque *crucifixionem* antecesserint; deinde, quomodo unus homo suffecisset tanto stipiti bajulando? Bajulavit ergo *cruciarius* tantùm antennam, cui manus expansæ jam erant alligatæ; unde pictorum ignorantia atque error innotescit, qui pingunt Christum totam *crucem* trahentem. Hanc Christi

& sequitur me, non est me dignus. Tertiò, ut pateret æquitas judicii & condemnationis; causa ejus tabulæ inscripta & ante sontem prælata est, aut aliàs per præconem evulgata. *Euseb. Hist. Eccl. l. 5. c. 1. Sueton. in Domit. c. 10.* Hæc inscripta causa plerumque à Romanis vocatur *Titulus*, aut *Elogium. Tertull. Apol. c. 2. Sueton. in Calig. c. 27.* Sic *Pilatus* scripsit τίτλον seu τὴν ἐπιγραφὴν τῆς αἰτίας literis *Græcis*, *Romanis*, & *Hebræis*; οὗτός ἐστιν ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων. (†) Quartò, crucifigendos vestibus nudârunt; Sic *Christus passus est nudus. Artemidor. l. 2. c. 58.*

VII.

Christi Salvatoris nostri bajulationem patheticè describit *Alex. Ros. Virg. Eu. ibid.*

——— ——— jamque cohortes
Romani longo procedunt ordine, Christus
Ponè subit, gestans humeris languentibus, eheu!
Fatalemque trabem, vestemque cruore madentem.
Hunc gemini fures comitantur; cætera turba
Subsequitur; matres, pueri; innuptæque puellæ
Fœmineum clamorem ad cæli sydera tollunt.

(†) Quæritur, quamobrem Deo visum fuerit, ut sanctissimus salvator *Tribus illis Linguis* è cruce pendens notaretur? Illud in figuram ut abeat voluisse videtur; Nim. Principaliores semper Ejusdem hostes & derisores in hominibus Tres futuros, *Judaismum*, *Hellenismum* & *Antichristianismum* Latinizantem. Uti etiam D. Jesus non ullis plùs linguis, quàm istis Tribus prædicatur; ita nullis plus obscuratur, & velut trisulco stylo atque tridente iisdem fodicatur. Rabbinistæ Hebrææ linguæ sibilis Salvatorem eludunt; Philosophi & Critici rotundo & Attico ore arrodunt; & Antichristianismus, qui Λαστέινος esse amat, & Lubricam hanc linguam prioribus jungit, Christum lacerat & Mundi convitiis & ludis exponit.

Landesbibliothek Oldenburg

VII. II. *Serræ dissectio.* A capite ad calcem hominem medium dissecuerunt. Hoc *supplicii* genere utebantur *Romani*, *Sueton. in Calig. c.27.* & *Hebræi.* Hâc pœnâ Menasses Prophetam *Esaiam* affecisse creditur; eoque respexisse *Paulus Hebr.* XI, 37. ἐπρίσθησαν *dissecti sunt.*

VIII. III. *Damnatio ad bestias.* Ii, qui damnati erant ad bestias, vocabantur *Bestiarii.* Utrùm *Paulus* juxta literam (6) *cum bestiis depugnârit Ephesi* 1. *Cor.* XV. 32. depugnatur à doctis; quibusdam per *Bestias Demetrium*, aliosque, qui ipsi *Ephesi* obstiterant, intelligentibus, ut *Theophylact.* & *Anselmo*; aliis verisimilius *bestias literaliter* accipientibus

(6) Probabilius est Apostolum per θηριομαχίαν illam intelligere *certamen*, quod per biennium gessit *Ephesi*, inter immanes & bestiis similes homines, quales non tantùm *Demetrius* & socii, sed & Judæi obstrepentes, fuerunt. Notandum autem est, Scripturæ familiare esse, per ursos, leones, tauros &c. truculentos homines indigitare. Quid? quòd literalis expositio hîc stare nequeat, nam, quando Paulus bestiis objectus fuit, cumque iis dimicavit, quomodo evasit? forsan bestias armis confecit, atqui damnati ad bestias, etiamsi unam aut alteram belluam superâssent, non tamen dimissi sunt, sed alia confestim bestia in conseptum caveæ immissa, usquedum *bestiarius* discerperetur. Vid. *Salmuth. ad Panciroll. de Veterum ludis.* Proinde illud exemplum dimissi Androcli servi apud *Agellium l.5.c.14.* extraordinarium est. Proinde minùs rectè Lutherus transtulit; habe ich menschlicher Meynung zu Epheso mit den wilden Thieren gefochten? optimè Gallus ille; *Si j' ai combatu contre des bêtes εἰ ἐθηριομάχησα, combatant contre des hommes κατ' ἄνθρωπον.* Sic *Paulus Neronem* leonem vocat, 2. *Tim.* IV. 17. & *Ignatius* milites decem, à quibus ex Syria Romam ductus est, λεοπάρδεις. *Colomes. Observ. Sacr. pag.* 67.

entibus, ut *Chrysost. Ambros.* aliisque. Hocce *supplicium* plerumque Christianos in primitiva Ecclesia exercuit. Hinc illa Gentilium in Christianos; quibus omnis mali publici causam imputabant, leonina vox: *Christianos ad Leones. Tertull. Apol. c.* 40. Accedit, quòd literalis expositio validius argumentum præbeat pro mortuorum resurrectione, quæ est scopus textûs, quàm si verba interpretemur de pugna impropria adversùs Euangelii annunciati hostes.

IX. IV. τροχὸς *Rota. Rex sapiens reducit super improbos* אופן *Rotam. Proverb.* XX. 26. (*) Puto, quòd verba hæc non importent plùs, quàm hoc; quòd *quemadmodum rota circumagitur, ita à prudenti Rege malitia improborum revolvatur in caput ipsorum.* Quòd hîc intelligenda sit contritio improborum sub rota currûs, quemadmodum ruricola quædam frumenta trochleâ commolit, somnium Interpretum est: quum nulla monumenta prodant, ejusmodi pœnam Judæis fuisse usitatam. Apud Græcos hoc *supplicii* genus in usu fuit, vocatumque est τροχός, non, quòd trochlea transierit maleficos, sed quòd illos radio rotæ

(7)

(*) Integer versiculus sic habet: *Rex sapiens ventilat improbos, & reducit super eos rotam.* Unde patet quòd Salomon ad triturationem respiciat, & significare velit; prudentem Regem explorare & excutere improbos velut vanno; & opprimere eosdem velut rotâ, quâ excutiuntur frumenta. Conf. *Esa.* XXVIII. 27. 28.

Landesbibliothek Oldenburg

(7) alligatos tantoperè cæciderint, quoad confessionem extorquerent. Ἐπὶ τοῦ τροχοῦ γ' εἱλκοῖτο μαστιγούμενος *Rotâ nimirùm trahebatur is, qui flagellabatur. Aristoph. in Iren.* De eadem pœna loquuntur *Demosth. 3. in Aphob.* & *Suidas.*

X. V. Καταποντισμός *Submersio in Ponto*, multos apud populos usitata fuit, diverso tamen modo. *Romani* parricidam culeo insutum cum *cane*, *gallo gallinaceo*, *vipera*, & *simia* in mare abjecerunt. *Senec. l. 5. controv. 4. Juven. Sat. 8. vers. 212. Modest. Digest. l. 48. ad legem Pomp. de parricid.* Vid. *Cœl. Rhod. lib. 11. cap. 12. Græci* maleficum ad Pontum damnatum *plumbo* involverunt. *Athenæus l. 14. Hebræi* lapidem molarem damnati collo appendebant. Hoc respectu intelligendi illi, qui statuunt, hoc *supplicii* genus, καταποντισμόν scilicet, Judæorum fuisse proprium. (8) *Hieron. Matth.* XVIII. 6.

XI. VI.

(7) *Josephus in Maccab. cap. 8.* crebram hujus supplicii, *Rotæ*, mentionem injicit. Fuit instrumentum ligneum, quo servi reique, circumactis distentisque corporibus, examinabantur. *Aristoph. in Pluto* ait: ἐπὶ τοῦ τροχοῦ γὰρ δεῖ σ' ἐκεῖ τριβλούμενον εἰπεῖν, ἃ πεπανούργηκας. *Debes rotâ torqueri, ut dicas, quæ scelerate egisti.* Hinc *Virg. Æneid. 6. vers.* 616. hoc supplicium inferno affingit.

Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum
Districti pendent.

Planè convenit cum Romanorum equuleo.

(8) Καταποντισμός nullo modo potest dici proprius Judæorum, siquidem id supplicii genus Judæis nunquam in usu fuit; non enim apud illos vel simpliciter vel appenso molari

XI. VI. Τυμπανισμός. Generali *Distentionis* voce *exponitur*. *Hebr.* XI. 35. 2. *Macc.* VI. 19. Veruntamen ea vox notat *peculiarem distentionis torturæque speciem*, nimirùm factam fustibus correptionem & interemptionem. Deducitur à vocabulo Τύμπανον, quod plerumque significat instrumentum bellicum tinniens *a drum*. Hinc quidam hanc pœnam comparârunt Romanorum *Equuleo*, quòd tortus homo distenderetur instar tympani pellis. *Magius lib. de Equuleo*. Vid. *Drus. præt. lib.* 8. Sed Τύμπανον non tantùm ipsum instrumentum cavum, verùm etiam bacillos denotat, quibus id pulsatur; & hinc ista pœna dicitur Τυμπανισμός, quando quis stipitibus ita pulsatus est, ut spiritus illius velut tympani malleis expelleretur. *Scholiast. Aristoph.* Τύμπανα scribit esse ξύλα, ὅις τύπτονται ἐν τοῖς δικαστηρίοις οἱ τιμωρούμενοι, *ligna, quibus feriuntur in dicasteris illi, qui supplicio afficiuntur*. *In Pluto pag.* 50. Res clara est in *Eleazaro*: *is sponte prodiit* ἐπὶ τὸ τύμπανον *ad genus hujus supplicii*, 2. *Macc.* VI. 19. & *vers.* 30. Ubi nulla fit distentionis mentio, sed solis fustibus ei anima

 expulsa

molari in mare projectos legimus ullos. Unde putat *Lightfoot. Matth.* XVIII. 6. Christum alludere ad submersionem in mari mortuo, quo nihil mergi potuit, nisi appenso pondere. Nihil ergo impedit, quominùs dicamus, Christum respicere morem Gentium, & meminisse molaris, non tam ideo, quòd is reis appenderetur, quàm ut enorme illius peccati pondus describeret.

Landesbibliothek Oldenburg

expulsâ dicitur. (9) *Junius Jer.* XXIX. 26. aliam adfert supplicii speciem, quam Hebræi vocârint צינוק; quam vocem ait esse compositam. Sine dubio eam componit ex צי *Navis, rates*, & ינק *sugere*: dicit enim eâ voce significari certum supplicium, quod appellent *Naviculam sugentis*. Describit id supplicium *Plutarchus in Artaxerxe* sequenti modo; *fuisse*, ait, *carceris quoddam genus, quo duæ scaphæ, pari commensu sibi respondentes, ita compingerentur, ut hominis corpus illis inditum quasi in vagina esset, cui præbitum fuerit mel temperatum lacte, ac invito etiam in os infusum, unde viveret &c.* Et ab hac suctione mellis & lactis, pœna hæc dicta est *Navicula sugentis*. Hebræi verò dicunt quòd *Tsino k* fuerit כלי מסגר לידים *Instrumentum constringens manus*. *D. Kimchi Jer.* XXIX. 26. Lectori libertatem relinquo eligendi, quam velit, interpretationem.

(9) De Hebræorum *fustuario* superiùs aliquid notatum est. Quod attinet scapham sugentis, illa in incerto fluctuat, nec probari potest, ejusmodi supplicium ullo modo Judæis receptum fuisse. Convenientius ergò remur, si cum Hebræis dicamus, צינוק, vel denotare nervum, vinculum, quo manus vel cervix, vel cippum, quo pedes impediti fuêre. Luth. & Belgæ vertunt ein Stock. LXX. Καταρράκτης.

MOSES

c, 25. Huc respicit *Paulus l. c.* μὴ ἐπισπάσθω, *ne attrahat* præputium. Hæc fraus *Esavo* ut primo *Autori* adscribitur.

CAP. II.

De Ἀπαρχῇ *Primitiis fructuum frugumque, & Primogenitis.*

I. USus & finis primigeniarum frugum erat *consecratio sequentium.*

II. I. Hoc fine ipsis præceptum erat offerre *primos arborum fructus. Lev.* XIX. 23. 24. Ubi hic ordo observatus est: Primis tribus annis, (1) ex quibus plantata arbor fuit, *censebantur fructus ejus præputiati & impuri*; non licebat iis *vesci*, eos *venundare*, *aut aliquem usum ex iis percipere.* Quarto anno *Jehovæ sancti* fuêre, h. e. aut *dati Sacerdoti*; *Num.* XVIII. 12. 13. Hinc *Aben-Esra* in hunc loc. ait: וְהַכֹּהֵן יֹאכְלֵנוּ & *Sacerdos eum fructum comedet*; aut etiam proprii domini vescebantur iis *coram Jehova Hierosolymæ*, quemadmodum *decimis secundis*; & hæc

(1) De arb. præp. eximiam scripsit Disp. *Jac. Alting.* quam consule. Arbor homo est. Quamdiu præputia & velamina habet in corde, aure, labiis, nec simplex, sed multiplex est, & veluti numerus bestiæ 666. in eo ubivis abundat & superfluit, omnes ejus fructus impuri sunt. Plerumque autem post annum Trigesimum sapere, & squamas ac præjudicia ac præputia amittere incipiunt.

Landesbibliothek Oldenburg